RICARDI KÜHNAU

DE TRISHṬUBHJAGATICA METRORUM INDICORUM GENTE

QUAESTIO RHYTHMICA ET HISTORICA.

DOCTORIS GRADUM ASCENSURUS
CONSENSU ET AUCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHI VRATISLAVIENSIS
LIBELLUM A ME PROPOSITUM ET SENTENTIAS CONTROVERSAS

MARTII DIE XXV HORA XII

IN AULA MINORE

CONTRA

HENRICUM LEWY DR. PHIL.
ET
PAULUM HABEL CAND. PHIL.

RITE DEFENDAM

RICARDUS KÜHNAU
MARCHICUS

VRATISLAVIAE
TYPIS GRASSI, BARTHI, SOC. (W. FRIEDRICH.)
MDCCCLXXXV.

De materia, quam hac tractatione explicabimus, fusius disseruimus quaestione diutisce conscripta, quam in lucem prodituri sumus.

Ad hanc ingrediendam principio Fridericus Adolfus Stenzler nos commovit, cum iubere non desineret Indorum rem metricam secundum leges hodiernae artis investigari, hoc est in numerum metrorum Indicorum inquiri: nam numeros esse necessarias formas metrorum ex praeclaro illo Rossbachi et Westphali libro, qui de arte Graecorum metrica est, satis elucet.

Cum igitur multa de diversis metris Indicae aetatis classicae indagaremus, Alfredus Hillebrandt, qui nos in studium vedicarum litterarum induxit, in vedica metra animos nostros convertit. Et incumbentibus in varias de metris Indicis tractationes nobis est persuasum rhythmicam rationem in arte metrica nec vedica nec classica adhuc esse adhibitam nisi a Westphalo,[1]) cum de vedicis metris, et a Cappellero,[2]) cum de classico quodam genere metrorum disputaret.

Westphal dicit ex vedicis metris trishṭubh et jagatî classica indravajrâ et vaṃçasthâ esse orta. A quo dicto profecti cum universam progressionem metrorum trishṭubh et jagatî persequi conaremur, cura et opera gratissima cum Stenzler tum maxime Hillebrandt nos adiuverunt.

---

[1]) Westphal: Zur vergleichenden Metrik der Indogermanischen Völker, KZ. IX p. 437.

[2]) Cappeller: Die Ganachandas. Jena 1872.

Compendiis his usi sumus:

RW = A. Rossbach und R. Westphal, Metrik der griechischen Dramatiker und Lyriker. (Drei Bände.)

AGWG = Abhandlungen der Königl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen.

ZDMG = Zeitschrift der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft.

ISt = Indische Studien, herausgegeben von A. Weber.

KZ = Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung, herausgegeben von A. Kuhn.

Magnum est, quod philologi non solum litteris, sed etiam linguae ipsi Graecorum et Romanorum intenti temporum progressu fundamenta quaedam exstruxerunt, quae omnibus, cuicunque humanitatis parti incumbunt, firma et immutata principia esse debent.

Sanscritis quidem philologis quamquam alia materia obversatur, tamen iisdem legibus materia est tractanda, quas illi primi docuerunt. Ex qua institutione sanscritis philologis contigit, ut in disciplinis quibusdam ab agro quasi nuper verso et consito tam maturos et inexspectatos fructus caperent velut in textibus recensendis et in antiquitatibus tractandis.

Sed nunc quoque inter studia sanscrita restat quidam tamquam ager — rem metricam dico — in quo exercendo praecepta philologorum nimis neglecta sunt, et necesse est homines illorum disciplina imbuti vomerem vix agro impressum usque ad finem perducant.

Sed quae sunt praecepta in doctrina metrica conservanda? Omnia ad unam spectant rationem, ad numerum. Fac numerum cognoscas, si metrum cognoscere vis: hoc praecepto solo duce homo artis metricae studiosus metrorum naturam intellegere potest. Haec ratio unius cuiusqne artis metricae fundamentum esse debet: nam, si numerus deest, in verbis non est metrum, sed prosodia prosae orationis propria.

Quae autem est numeri notio? In numerum, quibus legibus contineretur, primo in poetarum scholis florente arte Graecorum poetica inquisitum est, quibus in scholis musica doctrina inventa et ad summam perfectionem ab Aristoxeno Aristotelis discipulo perducta est. Quae doctrina posteriore tempore oblivioni data nunc iterum viget, ex quo tempore Rossbach et Westphal artem metricam tractantes elementa numerorum recognoverunt et in

doctrinam metricam omnibus fere probantibus induxerunt. Liber ab his doctis viris conscriptus nobis tamquam thesaurus est, ex quo desumpta sunt, quaecumque in commentatione nostra ad numerum pertinent.

Numerus, qui a Graecis ῥυθμός appellatur, forma est, quae materiae adhaeret, vel species, sub qua haec ob oculos nobis versatur. Qualis autem est materia? Varia esse potest: soni cantuum, motus corporum, verba linguae. Qua re Graeci tres musicas artes discribunt, musicam, orchesticam, metricam: quarum cuique forma numeri inest.[1]) Cur? Omnes tres musicae artes in motu positae sunt sive sonorum sive corporis sive verborum. Formam autem atque iucunditatem, quam parere artium est, motus consequitur per ordinem quendam materiae, quae movetur.[2]) Hic ordo ut animadvertatur sive oculis sive auribus, motum in singulas quasi particulas divisum esse opus est: nam in motu continuo ordo non agnoscitur.

Quo modo hae particulae animadvertuntur singulae? Quem ad modum compositae succedentes sibi motum rhythmicum gignunt? Certum est binas particulas in unum (quod hodierni musici vocant Takt)[3]) coniungi, quarum quidem altera impressionem (ictum) habet, altera remissionem: altera elevata pars est (θέσις), altera remissa (ἄρσις).[4]) Hoc discrimine intentionis et quasi controversia pars altera ab altera distat: quamquam ambae in unum coeunt: nam haec duarum partium controversia principium est et quasi schema in movenda materia iterum atque denuo repetitum: nomen ei pes (πούς) est. Atque discrepantia intentionis est causa, de qua particulae inter se distinctae animo percipiuntur: sunt, ut ait Aristoxenus, γνώριμοι τῇ αἰσθήσει.[5]) Quid! Postulatur ordine, ut thesis et arsis in eodem

---

[1]) RW I p. 7.

[2]) RW II, 2 p. 187.

[3]) RW II, 2 p. 210.

[4]) θέσεως et ἄρσεως terminorum ea vi usi sumus, quam Graecorum musici eis tribuerunt, quam vim prioribus temporibus vice versa usitatam Westphal primus restitui vult, cfr. RW II, 2 p. 352. Inversio terminorum effecta est temporibus posteriorum metricorum latinorum, cfr. RW I p. 25.

[5]) RW II, 2 p. 215.

motu rhythmico invicem altera alteri succedat: sed ad numerum nihil pertinet, utrum sublata tactus particula remissae antecedat an succedat, cum motus rhythmicus non commutetur. Itaque non probandum est, quod musici et in his Aristoxenus duo genera motuum rhythmicorum distinguunt, quorum alterum a sublata, alterum a posita tactus parte incipit (διαφορὰ κατ' ἀντίθεσιν).[1]) Optimo igitur iure musici nostrae aetatis cum aequabilitatem petant, omnem rhythmicum motum a thesi id est a forti tactus parte prodire docent: quam ob rem antecedentes remissas partes Auftakt nominant, scilicet partes extra numerum positas et rhythmicum motum quasi praenuntiantes. G. Herrmann pro termino Auftakt anacruseos nomen in doctrinam metricam induxit. Itaque successio pedum vel tactuum in thesin et arsin divisorum et eundem divisionis ordinem conservantium prima est condicio motus rhythmici.

Duplex accedit condicio non levior: una est ratio, quae inter thesin et arsin, altera est ratio, quae inter unumquemque tactum et omnes ceteros eiusdem motus rhythmici exstat, utraque certis finibus determinata. Quod attinet ad illam priorem, musici Graeci tria[2]) numerorum genera distinguunt

a. par sive dactylicum (γένος ἴσον vel δακτυλικόν)
   thesis: arsis = 2 : 2,
b. duplex sive trochaicum (γένος διπλάσιον vel ἰαμβικόν)
   thesis: arsis = 2 : 1,
c. sescuplex sive paeonicum (γένος ἡμιόλιον vel παιωνικόν)
   thesis: arsis = 3 : 2.

Alias rationes omnes in numeris respuunt ἀῤῥύθμους id est numero repugnantes arbitrati. Et nostri quidem musici ea, quae commemoravimus, genera probant, cum ne paeonicum quidem ($^5/_8$-Takt) quamvis rarum[3]) plane negent. Haec tria genera numerorum ea fingendi metra ratio usurpat, cui a quantitate syllabarum respecta Westphal nomen dedit quantitirende

---

[1]) RW I p. 28 et II, 2 p. 353.

[2]) RW I p. 27.

[3]) RW II, 2 p. 370.

Metrik. Hoc enim formationis genus quantitate syllabarum distincte expressa in numeris id efficit, ut ratio inter binas tactuum partes condita, primo quidem simplex, immutetur atque varia fiat. Quae varietas in ceteris duobus generibus, quae Westphal nominavit silbenzählende et accentuirende Metrik, existere non potest, cum in his tactuum partes quantitatem syllabarum non sequantur. Veri simillimum est, quod Westphal suspicatur, simplicissimam rationem (thesis: arsis = 1 : 1)[1]) esse in duobus his, quae dicimus, formationis generibus.

Deinde homines docti huius aetatis sententiam paulatim commutaverunt. Priores inter eos metrici Bentley, G. Hermann, Voss, Apel, Boeckh hodiernos musicos secuti aequalitatem[2]) tactuum in eodem motu rhythmico postulaverunt. Hodie autem, cum Rossbach et Westphal doctrinam Graecorum rhythmicam integram restituerint, inter omnes constat aequalitatem tactuum non esse necessariam in rhythmico motu,[3]) id quod et ex rhythmica doctrina et carminibus ipsis Graecorum cognosci potest. Quodsi varietas quaedam tactuum numero inesse potest, quam Graeci μεταβολήν id est mutationem vocant, certis finibus determinanda est, quos transgredi non licet. De qua mutatione Westphal (RW II, 2 p. 552) haec dicit: Der Rhythmus verlangt immer eine bestimmte Ordnung der Zeittheile (τάξις χρόνων); wo dieselbe nicht stattfindet, kann überhaupt von einem Rhythmus nicht die Rede sein. Es muss daher auch in den taktwechselnden Metren trotz der Ungleichheit der auf einander folgenden Zeitgrössen dennoch eine bestimmte Ordnung und Regelmässigkeit bestehen.

Jam liceat nobis de aequalitate et de varietate sive mutatione tactuum, quid censeamus, id proferre. Non negandum est mutationem tactuum in motu rhythmico ad-

---

[1]) RW II, 2 p. 225 et 244 (quo loco Westphal poeticae Germanorum arti eam rationem tribuit, quam musici nostri significant $^2/_4$-Takt).

[2]) RW II, 2 p. 211.

[3]) RW II, 2 p. 211 sequ. et II, 2 § 42 (p. 545).

mitti posse, dummodo in universum ordo certus et legitimus intellegatur. Unde fit, ut eam mutationem numerus toleret? Ut quam accuratissime diiudicemus, distinctio nobis facienda est inter eum numerum, qui animo humano, et eum, qui materiae insitus est. Ut supra diximus, numerus est forma materiae, non materia ipsa, quam differentiam Aristoxenus exponit, cum formam εἶδος, materiam ὕλην dicit.[1] Forma autem materiae non ex origine propria est, sed posteriore quodam tempore ab hominibus impressa. Quo efficitur formam priore tempore non inhaesisse nisi animo humano, quam inhaerentiam philosophi dicunt ideam formalem. Deinde artificis est ideam, quae tamquam imago numeri ipsi insita est, materiae imprimere et ita numerum manifestum reddere. Unde haec numeri idea originem in animo humano ducit? Ex natura rerum est accepta: ingressus hominum, cursus equorum, plausus avium volantium, percussiones campanarum, pulsus venarum[2]) sunt motus rhythmici, quorum singulae partes, cum ab iis, qui animadvertunt, facile teneantur, animum humanum penetrant et successione particularum delectant. Sed successio ipsa est certis finibus definienda: nam temporis particulae ultra modum repetitae animum fatigant et delectationem in taedium vertunt. Qui motus in natura rerum varii ideam numeri animo humano insitam pariunt. Qualis est haec idea? Est animo soli inhaerens temporis metiendi facultas, et pro hac facultate singulari animus unus omnium accuratissime metitur. Mutationem tactuum respuit numeri idea et aequalitatem sibi summam legem proponit. Atque legem quidem et normam artifex sequitur, cum numerum animo suo inhaerentem in rerum naturam transferat et materia substituta animadversioni offerat.

At mutatio tactuum unde oritur? Artifex quibusdam rebus extra numerum positis obsecutus certa ratione numerum in novam formam a lege discrepantem redigit. Quae res hae sunt: cogitata et sensus, quibus animos captare artis poeticae est ut apud Graecos, aut animus discrepantiae in metris amans

---

[1]) RW II, 2 p. 189.

[2]) RW I p. 7 et II, 2 p. 188.

et in dissimiles et repugnantes pedes intentus ut apud Indos. Sed quem ad modum hanc numeri μεταβολήν a lege abhorrere et quasi morbum esse Graeci quidem intellexerint, Westphal affert his verbis (RW II, 2 p. 551): Bei jeder Taktänderung fühlte man sich in einer gewissermassen aufregend peinlichen Stimmung, man wurde in eine heftig fluctuirende Bewegung versetzt, man gerieth in denselben krankhaften Zustand, wie wenn die Pulsschläge sich in ungleichen Zeiträumen bewegen. Hac tactuum mutatione admissa numerus de iure suo aliquantum decedit: et decedere licet, dum eum principatum tenere, totius motus ducem et moderatorem esse eluceat. Et consentaneum videtur numerum eo magis aliquid sui proprium alienare posse, quo firmius et constantius imperium est, in quod materiam numerus redegit quoque magis artifex sibi persuasit se quocunque vellet tempore alienatum in integrum restituere et aequalitatem tactuum ex lege numeri reducere posse.

Quo cognoscitur, cur antiquissima artis poeticae forma syllabas numerans mutationem tactuum non exhibeat. Nam in ea forma materia verborum quamquam numero subiecta est, tamen ut populus modo subiectus sub iugo gemit sibi imposito: et numerus ipse tanquam suspiciosus materiam custodit, quae invita potentiae eius obsequitur. Itaque numeri quaeque pars parte verbi est expressa, continua aequalitate sublatio et positio sibi succedunt, series pedum seriem sequitur. Neque in Graecorum quidem poesi mutatio tactuum a principio exstat, sed proficiente longius arte poetica effecta est: aequalitas tactuum est prior, mutatio posterior.

Quam late in musicis artibus motus rhythmicus pateat licet? Lex est, ne latius pateat, quam ipsa animi intentione, quae a musicis αἴσθησις vocatur, motus comprehendi potest, ita ut una continuatione animo imprimatur.[1]) Huic continuationi nomen est ordo rhythmicus (apud musicos πούς σύνθετος).[2]) Atque Graeci quidem ordinem itidem diversis

---

[1]) RW I p. 23.
[2]) RW II, 2 p. 207.

partibus vel membris constare tradunt ac tactum vel pedem (qui πoὺς ἀσύνθετος a musicis appellatur): pars enim altera ordinis rhythmici thesis, altera arsis habetur, quarum partium rationes cum tribus generibus rhythmorum congruunt. Partium compositio in ordine pro intentione ictuum varia intellegitur, ex quibus unus fortissimus totum ordinem rhythmicum quasi complectitur et, ut continuatio tactuum cognoscatur una, efficit[1]. Uno ordine finito cum motus rhythmicus desinat, pausa oritur, qua ipsa finem motus rhythmici cognoscimus. Attamen coniungas licet cum uno ordine rhythmico alios, quotcunque vis, ordines nulla pausa interruptos. Hac coniunctione facta constat per omnes ordines unum et eundem motum decurrere neque aliter interdum nisi suo quemque fortissimo ictu ordinem distingui. Neque prius pausa fit, quam cum universus motus rhythmicus ad finem pervenerit. Cum igitur numerum ordinum spectemus, varii motus rhythmici discribuntur: nam motus uno, duobus, tribus vel pluribus ordinibus contineri possunt. Commune autem nomen motibus rhythmicis ordines periodos Graeci sicut nostri musici dant. Communis est iis lex tactuum aequalium, sed haec non raro violata mutatione[2] tactuum, quippe quam numerus concedat, dummodo ne tollatur.

Iam vero cum ordines rhythmicos discernamus, quomodo a motibus rhythmicis differant, duo genera ordinum cognoscuntur: alterum ordines periodos comprehendit, quorum singulos quisque motus rhythmicos finitos continet, alterum ordines cum ordinibus coniunctos, qui motus rhythmicos finitos componunt. Illae periodi singulis ordinibus constantes cum iis, qui e binis ordinibus sunt coniugati, a Graecis nominantur eodem nomine στίχοι (versus), quod in uno et eodem versu conscribi solebant. Alterius autem generis ordines singuli, qui cum finitis motibus non congruunt, sed finitos motus vel periodos ordines componunt, κῶλα[3] nominari solent.

---

[1]) RW I § 17 (p. 70 sequ.) et II, 2 § 27 (p. 379 sequ.).

[2]) RW II, 2 p. 551.

[3]) RW II, 2 § 29 (p. 405 sequ.). Confer de his notionibus rhythmicis accuratiorem explicationem in tabula Westphali p. 406.

Poesis omnium populorum Aricorum a principio fuit cum cantu coniuncta, carmina fuerunt μέλη et in modis nixa est forma, qua antiquissima ars poetica utebatur. Quae forma est stropha.[1]) Quanam ratione stropha modis efficitur? Modi pluribus, ut solent, periodis ordinibus adiunguntur et eos complectuntur, ut unum et continuum fiant. Quodcum modi repetantur, easdem periodos quam ante repetendas esse manifestum est. Quo facto novum fit continuum, cuius tamen elementa congruunt. Singula haec continua strophae nominantur, quod nomen (Graece στροφή) ad repetitos modos et numeros eosdem referendum est.[2]) Sed temporis spatiis interiectis modi plerumque a stropha seiunguntur, structuram autem et continuationem stropha retinet. Neque modis remotis alia nota stropha agnoscitur quam compositione partium repetita. Alexandrini quidem et Romani poetae lyrici eodem modo quo nostri carmina contexere solent, cum modis neglectis lectoribus tantum scribant.[3]) Idem intellegitur in poesi Indica. Vedica enim carmina in strophas composita ut omnia carmina popularia canta esse videntur. Sed cantum renuntiaverunt posteriores Indorum lyrici, compositionem autem stropharum retinuerunt eamque adeo amplificatam, ut praeter hanc vix alia contexendi forma inveniatur.

Sed haec hactenus. Nunc revertamur ad id, unde exorsi sumus, ad Indorum artem metricam. Atque cum nobis proposuerimus, ut de familia quadam Indicorum metrorum disseramus, quaerendum est, quam ansam huic commentationi Indi ipsi offerant. Indine doctrinam metricam effinxerunt? Quae ratio ei cum n u m e r o intercedit?

Indi antiquitus metrorum formas ad rationem et artem quandam revocare studuerunt, sed speciem solam metrorum

---

[1]) Westphal, KZ. IX p. 437.

[2]) Cum modi non repetantur, sed prioribus alii varii iterumque varii adiungantur, simul novos et varios ordines periodos se sequi apertum est. Quae forma componendi carmina apud Graecos appellatur σύστημα, cfr. RW II, 2 p. 196 sequ.

[3]) RW II, 2 p. 195.

spectant, quam vocamus schema. De padis[1]), ex quot et qualibus syllabis constent, de strophis, ex quot et qualibus padis sint consertae, cogitant et commentarios conficiunt, cetera neglegunt. Varias stropharum formas in genera et classes distribuunt et genera, classes, formas nominibus notant. Sed numerum metris inesse et vigere non cognovisse videntur, in commentariis quidem eorum metricis prorsus nihil de numero invenitur. Itaque iure dicit Westphal:[2]) Einen indischen Aristoxenos giebt es nicht.

Quamvis mirum hoc videatur, tamen dilucidior fit res, cum Graecos conferamus. Nam hi quoque, cum rhythmica doctrina evanuisset, labefactata Graecorum libertate et postea perdita artem metricam non tractabant nisi in metrorum schemata id est syllabarum quantitates inquirentes neque numeri rationem habentes[3]), per quem schemata illa exorta sunt. Huc accedit, ut ne idem quidem Indicis quod Graecorum metricis posterioribus utilitati esse potuerit, quod ignorantibus tamen doctrinae rhythmicae pracepta quasi invitis adhaerescebant: nam haec ex patrum memoria in arte metrica versata etiam tum valebant, cum elementa numerum oblivioni data erant. Quodcum Indorum metrici nihil numeri deliberent neque vestigia numeri retineant, ex hoc argumentum est sumendum nunquam eos studuisse doctrinae rhythmicae, nihil a maioribus unquam recepisse, quod ad numerum pertineat. Doctrina rhythmica Indis et semper fuit et est ignota.

Itaque cum Indi numerum plane neglegant, nobis videlicet usui sunt opiniones, quas variis rebus inter se concinnis quam maxime confirmare debemus.

Si fieri possit, ut carmen eodem modo, quo voluerit poeta ipse, pronuntiatum audiamus, certo numerum in eo recognoscere possimus. Nam recte pronuntiatum carmen recte praebet numerum, in pronuntiatione numerus fit vivus. Sed hic

---

[1]) Pâda Indorum haud inepte Strophenglied vocatur: nam stropha ex padis (plerumque quatuor) est composita. Idem in nostris strophis ei parti respondet, quae Vers (= Zeile) dicitur.

[2]) RW II, 2 p. 227.

[3]) RW II, 2 Einleitung.

fons vivi numeri nobis est reconditus. Et cum ne Indi quidem ipsi pronuntiationem rhythmicam observarint, ex iis, quae nobis exstant, numerus quantum fieri potest efficiendus est. Exstant autem schemata vel padae et strophae secundum quantitates certas compositae, quae quantitates aut longae aut breves sunt: longas singulas binis[1]) brevibus pares esse Indi censent.

Nostrum igitur est inquirere, in quibus syllabis ictus sint positi id est quae sint theses et quae temporum rationes sint singulis et longis et brevibus syllabis. Nam quin Indi errent arbitrati ex binis quamque longam moris (mâtrâ) et ex singulis quamque brevem constare, nemo dubitabit, qui metricam doctrinam nostra aetate ab omnibus probatam perceperit.

Quo modo ictus et mensura syllabarum cognosci possunt?

Non ignotum est Indorum artem poeticam eadem via progressam esse qua Graecorum. Quae cum ita sint, adducimur, ut Indorum schemata, perinde ac si sint Graecorum, tractemus. De Graecorum autem schematibus non ignoramus, qua ratione quantitates syllabarum numero subiciantur.

Sed quamquam hac ratione in sanscrita arte metrica uti licet, tamen nobis vedicam aetatem intuentibus deest. Nam in poeseos vedicae spatio conformationes metrorum maxima ex parte sunt diversae a posterioribus et simpliciores sunt non modo sanscritis sive classicis,[2]) sed etiam Graecis. Est enim antiquior vedica metrorum ratio, quod schemata magnam partem sunt ambigua syllabarum quantitate. Neque adiumentum nobis est, quo syllabas ictibus notatas cognoscere possimus, cum schemata certis quantitatibus paene prorsus carentia ansam praebeant nullam. Sed multum interest ambiguitatem syllabarum non ad totum padam pertinere, sed finem padae esse certa quantitate. Quod tamen argumentum ad cognitionem numeri multum non valeret, nisi altera esset ratio et ea gravissima, qua numerus intellegeretur. Qua quidem

---

[1]) Piṅgala 1, 25.

[2]) Sanscrita vel classica nominamus (sicut omnes viri docti), quaecumque vedico spatio recentiora sunt: sanscritum igitur nomen tamquam artius usurpamus.

ratione postulatur, ut inquiramus in varias per saecula sibi succedentes eiusdem metri formas vel ut instituamus disputationem secundum rationes historicas. Si contigerit, ut metra inveniamus a carminibus vedicis per litteraturam insequentem usque ad classicum aevum conservata, nemo negabit classici aevi schemata in prioribus litteris esse praeparata.

At quaerendum est, qualem hanc praeparationem esse iudicemus.

Gradus et quasi processus in rebus metricis non alii intelleguntur, quam qui numerum sequuntur: numerus enim et verborum materia inter se comparanda sunt, cum videamus numerum paulatim immutata ratione syllabis usum materiam verborum sibi subicere. Quod ut cognoscatur, de fructibus quibusdam doctrinae metricae comparativae disputandum est. Ei primus Westphal incubuit: quae scientia ut grammatica et mythologia necessitudine populorum Aricorum nititur. Cum fieri possit, ut antiquissimis metris comparatis ad primarias formas perveniamus, quibus ille primus populus metrorum loco usus sit, doctrinae metricae comparativae est investigare, qua ratione singuli populi Arici ex illis primariis formis alias sui proprias procreaverint.

Tres esse rationes metricas sive principia ars metrica comparativa docet: triplici enim modo a poetis variorum populorum numerus verbis imprimitur. Primitus enim numerus et verborum materia nimirum seiuncta sunt neque alterum ad alteram refertur. Ex animo tum poeta numerum in materiam verborum transfert et materiam numero subicit vel rhythmicam (ῥυθμιζόμενον) reddit. Quam rhythmicam materiam doctrina metrica sibi tractandam proposuit. Tribus rationibus metricis tria[1]) genera poeseos respondent.

---

[1]) Westphal in opere RW II, 2 cap. 2 (p. 219) primus tria genera poeseos distinguit. Idem antea (KZ. IX p. 437) de Iraniis, Indis vedicis, Graecis disserens duo metricae artis genera et transitum inter haec exstantem invenit.

1. Poesis, in qua syllabae numerantur.

In hac nihil interest, quales syllabas numerus in graves, quales in leves tactuum partes vertat. Numerus syllabarum quantitatem et verborum accentum omittit. Haec est rudissima et antiquissima artis metricae conformatio. Subest in antiquorum Iraniorum poesi (in Zend-Avesta).[1]

2. Poesis, in qua accentus spectantur.

Numerus ictum ei syllabae tribuit, quae in quoque verbo accentum tenet, ita ut accentus verbi et ictus rhythmi coincidant.[2] Quantitates syllabarum negleguntur. Haec poeseos formatio a Germanis et antiquissimis Italicis adhibetur.[3]

3. Poesis, in qua quantitates syllabarum spectantur.

Hic numerus quantitates natura syllabarum proprias ad formandos pedes adhibet, longis et brevibus syllabis varia tempora et sua lege determinata tribuit. Verborum accentus omittuntur. Hac formatione Graeci, quos Romani imitati sunt, et Indi posteriores utuntur.[4]

Sed hi tres modi, quibus rhythmo τὸ ῥυθμιζόμενον tractatur, non separati sunt neque contactu carent, sed gradus, quibus coniunguntur, cognoscimus. Initium progressionis poesis syllabas numerans esse debet: nam rudior et inertior forma artis metricae intellegi nequit, quam quae in illa poesi invenitur. Itaque eandem esse poesin populi primigenii elucet.

A poesi syllabas numeranti ad eam, quae accentus spectat, transitus, etiamsi in litteris non exstant, tamen cogitatione efficiendi sunt, cum Westphalo[5] et Alleno[6] auctoribus

---

[1]) RW II, 2 p. 223 sequ.

[2]) Lex est, ut syllabae verborum accentibus notatae eaedem ictibus numerorum notentur: sed tantum abest, ut vice versa syllaba quaeque ictu praedita eadem accentum teneat, ut praeter syllabas accentu praeditas etiam aliae certis condicionibus ictibus notari possint. Cfr. RW II, 2 p. 243.

[3]) RW II, 2 § I7 (p. 239 sequ.).

[4]) RW II, 2 § 16 (p. 227 sequ.).

[5]) RW II, 2 § 17 (inde a p. 239).

[6]) Frederic Allen: Ueber den Ursprung des homerischen Versmasses, KZ. XXIV p. 556.

statuamus versum longiorem veterum Germanorum et saturnium Romanorum cum ordinibus octosyllabis veterum Iraniorum et Indorum vedicorum primo aevo esse coniunctum. In versu longiore Germanorum accentus verborum solos spectari constat, saturnium vero Allen significat ipse nomine halbquantitirend[1]): quamquam versus, in quibus accentuum semper ratio habetur, ex vetere Italicorum tempore conservantur, qui inter saturnium iam non penitus secundum accentus compositum et primigenium versum eiusdem numeri medium tenent.[2])

Quodcum in poesi veterum Iraniorum et Indorum aut omnino aut ex parte syllabae numerentur, non dubium est, quin accentuum ratio Germanorum et Italicorum, qui cum Iraniis et Indis syllabas numerantibus communi origine coniungantur, item initio in numerandis syllabis posita sit. Quo modo syllabarum numeratio ad accentuum rationem provenerit, id nobis plane occultum est. Sed nostra nihil interest, et quomodo hic processus confectus sit, et num haec ipsa continuatio inter duas, quas dicimus, rationes agnoscenda sit.

Ex eo, quod nobis proposuimus, multo magis est cognoscere, qua ratione poesis syllabas numerans cum ea, quae quantitatibus utitur, cohaereat. In qua disputatione certiorem viam ingredi possumus. Nam cum apud veteres Iranios poesis syllabas tantum numerans, apud Graecos et Indos posteriores quantitates observans floreat, in strophis Indorum vedicorum gradus artis metricae inter duas, quas diximus, rationes medius inest. Qua re sine dubio etiam apud Indos antiquitus poesis syllabas tantum numerans floruit. Paulatim quantitatum rationem habere coeperunt, cum primum quidem in fine padae certam prosodiam inducerent, quae postea a fine ad initium padae promoveretur. Prosodiae ratio padam prorsus sanscrito aevo complexa est. Quae metrica propagatio apud alios po-

---

[1]) Aliter Otto Keller: Der saturnische Vers als rythmisch erwiesen, Leipzig 1883, saturnium versum solos accentus spectantem intellegit, quod accentus spectare nomine alieno rhythmicum dicit.

[2]) Allen, KZ. XXIV p. 588.

pulos non cognoscitur. Apud Graecos quidem insunt quaedam in metrica arte, ex quibus colligitur etiam hos olim syllabas tantum numerasse, sed vestigia sunt perpauca. Ad haec Westphal[1]) in ordine rhythmico ineunte libertatem prosodiae refert, qua maxime poetae Aeolici in metro logaoedico utuntur, cum in initio omnes pedes bisyllabos (trochaeum, iambum, spondeum, pyrrhichium) basin admittant: deinde spondeum primum dispodiae iambicae huc numerat. Sed hae antiquitatis reliquiae apud Graecos rarissimae num recte iudicentur, nisi Westphalo auctore universa populorum Aricorum ars metrica comparando perspecta sit, dubitandum est.

Nisi continuationem universae Indorum artis metricae esse per studia comparativa constaret, Indorum ipsorum sententiis facile id iudicare possemus continuationem metricam non esse: nam Indorum arbitrio aevum sanscritum transitu remoto vedico aevo successisse videtur, perinde ac si subito nova ratio quantitates spectans loco syllabas numerantis constituta sit. Ad hanc sententiam Indi pervenerunt, quod carent sensu historico sicut in omnibus litterarum partibus. Hoc tamquam hiatu negato nobis proposuimus, ut fila colligamus collectaque unum cum altero connectamus, quaecunque nobis obveniunt. Sed difficultates nobis oppositae sunt non exiguae. Neque enim ulla pars litterarum Indicarum certis annis determinata est: quin etiam annis certis neglectis interdum ne hoc quidem habemus exploratum, quo ordine temporis ratione habita singula scripta componamus. Plerumque ampla sunt spatia, quae inter se conferenda sunt. Et cum dubium sit, quid prius, quid posterius sit, spes disputatione metrica accurata nititur, qua argumenta chronologica offerantur. Cum igitur seriem operum, quae investigavimus, opinione quadam potius quam consilio et argumentis condiderimus, sed intervalla seriei, quam ampla sint, satis definire non potuerimus, contenti erimus, si nobis contigerit, ut nonnullas notas cognoscamus, cum continuatio novam viam ineat. Quibus notis intellectis exiguae res praetermittendae sunt, quae quasi in tenebris versantur, donec alia adiumenta desunt.

---

[1]) KZ. p. 440.

In antiquissima poesi, hymnis et proverbiis vedicis, etiam alia difficultas est: nam contextus carminum non eadem verborum forma nobis est traditus, quae ab auctoribus est condita. Carmina vedica per longum tempus videlicet per saecula multa ab auctorum aetate voce sola prodita sunt, sed cum in sacris versarentur, eam sanctitatem assecuta sunt, ut memoriae causa litteris mandarentur. Quae conscriptio non auctorum verbis facta est. Nimirum enim eo ipso tempore in universum mutatio verborum erat confecta, quae quidem coniunctiones vocabulorum (saṃdhi) spectabat. Initia quidem mutationis iam temporibus auctorum exstiterunt, sed paulatim ea propagata et confecta est. At mutatione peracta metrum oppressum est. Nec dubitandum est, quin carmina, si forma nobis tradita in recitatione adhibita est, metrica norma abhorruerint. Si metrum in integrum restituere volumus, mutationes vocabulorum omnibus locis exceptis his, quibus auctores ipsi instituerunt, irritas facere debemus. Praecipue id agitur, quibus locis y et v semivocales in i et u vocales sint restituendae et contractiones syllabarum sint dissolvendae, quae ab Indis[1]) ipsis praecipiuntur: nam hi quoque metricam restitutionem carminum petierunt. Sed per Indos suo cuique arbitrio licet singulis locis padae commutare semivocales et dissolvere contractiones. At haec licentia nostris textuum recensendorum rationibus repugnat. Itaque nostrum est accurate definire, quem quaeque restitutio padae locum aggredi debeat.

Duabus rebus coniunctis uti debemus. Ac primum quidem grammatica disputatio ampla ingredienda est, cum quas formas vocabula singula temporibus auctorum vedicorum habuerint, tum maxime quae vocabula iisdem temporibus semivocalium loco constanter vocalibus i et u utantur quaeque semivocales y et v contineant.[2]) Altera res in metrica investigatione posita est, qua non tam de numeris carminum quaeritur quam de schematibus tamquam syllabarum speculis. Percunctandum enim est, quam late in pada constantia quaedam prosodiae

---

[1]) Velut Ṛigvedaprâtiç. 8, 22.

[2]) Cfr. Sievers: Zur Accent- und Lautlehre der germanischen Sprachen, Paul und Braune, Beiträge V p. 129.

pateat id est qua tenus quantitates syllabarum certis locis certae ac immutatae sint. Indi quidem recte iudicaverunt exitum padae constanti prosodia esse: quantitas enim paenultimae immutata est eaque nomine vṛitti sive vritta[1]) est appellata, quod nomen cum vocabulo Latino „versus" comparandum est. Porro Indis contigit, ut certis padae locis longas vocales[2]) pro brevibus usitatis esse constitutas cognoscerent. Quae productiones certis locis quasi adhaerentes et ipsae prosodiae constantiam efficiunt.

Iam ultra doctrinam Indicam accuratius inquirere debemus, ubi pro ambiguitate syllabarum distinctio fieri incipiat, vel id agendum est, ut suo quemque padam schemate exprimamus notis adhibitis his: ⏓ aut ⏔ pro ambiguis syllabis, – pro longa, ⏑ pro brevi syllaba. Sed iuvat grammaticam commentationem cum metrica coniungere, cum neutra pars per se ipsa certa offerat argumenta. Eo labore duplici ad finem quendam perducto tum demum in schematibus recuperatis numeros indagare licet. Et hoc tempus nunc adest.

Iam proferamus, quo ordine et qua ratione opus nobis propositum aggressuri simus.

Metrum eligemus id, quod a carminibus vedicis profectum et continuo progressum iam in classicis Indorum litteris recognosci ab omnibus probatum est. Cum hoc metrum in classicis litteris certis quantitatibus imbutum sit, in eius schemate classico numerum indagare incipiemus, quod conati de schematis natura tamquam Graeca iudicium faciemus. Et retro versi universum spatium, quo metri continuatio imperfecta est, complectemur et certum finem (classicum schema, cuius numerus perspectus est) cum certo initio coniungemus. Initium autem est ea forma, quam huius metri originem esse arte metrica comparativa cognitum est. Sed cum ea primaria forma in litteris, quae supersunt, non inveniatur, primum id agemus, ut formam ex litteris eam promamus, quae illi primariae proxima adest. Ab hac, qua antiquior forma non superest, profecti omnes formas

---

[1]) vṛitti est nomen abstr. fem. et offertur a Nidanasutra 1, 1, 14—19. vṛitta est part. perf. pass. neutr. et continetur in Ṛigvedapratiç. paṭ. 17, 21—23.

[2]) Ṛigvedaprat. paṭ. 8, 21 et 22.

posteriores constituemus, et quo numero sint et qua ratione inter se coniunctae.

Proposuimus nobis, ut in padas hendecasyllabos et dodecasyllabos (trishṭubh et jagatî) inquiramus, quales sint in carminibus vedicis quaque ratione et quo progressu in quantitativas formas classicae aetatis transierint. Nam Westphali arbitrio ambo metra originem ducunt ex communi antiquitate Persarum, Indorum, Graecorum, unde ea procedentia in indravajrâ et vamçasthâ metra classica ratione quantitativa imbuta se convertisse. Westphali[1]) argumenta praemittamus, quae ad ea metra attinent, quibus tres populi propinqui Persae, Indi, Graeci olim communiter usi et postea seorsim sua quisque ratione functi sunt.

Westphal haec profert:

1. Die Elemente des jambischen Dimeters, des akatalektischen und katalektischen Trimeters der Griechen finden sich bei den verwandten Völkern Asiens wieder. Ein fortschreitender Entwickelungsgang von der Gleichgültigkeit des Rhythmus gegen die sprachliche Prosodie bis zu einer festen quantitirenden Metrik wird durch die Inder vermittelt.

2. Die längere Reihe bildet einen selbständigen Vers, die kürzere Reihe tritt mit einer zweiten zu einer Verseinheit zusammen, aber die Cäsur sondert beide innerhalb des Verses von einander.

3. Am Ende des Verses findet wo möglich ein Abschluss des Sinnes statt, ein Vers ist ein Satz. So bei Indern und Iraniern. Die Griechen haben diese Strenge gemildert, aber ein Rest davon zeigt sich noch darin, dass keine Wortbrechung verstattet wird: εἰς τελείαν περατοῦται λέξιν.

4. Die früheste Art der metrischen Composition ist die strophische: sie wird bedingt durch den Gesang; denn die älteste Poesie war überall eine melische. Mit Abschluss der Strophe begann dieselbe Melodie von Neuem. Obenan steht die distichische Form, sie waltet vor in den Veden,[2]) erscheint

[1]) KZ IX p. 455.

[2]) disputatio nostra respuet distichi formam in carminibus vedicis: padas vedicos inter se disiunctos et singulos pari modo recensendos esse iudicamus.

in derselben Weise in den episch-lyrischen Partien des Avesta, die ältesten Strophen der Griechen bis auf Archilochus erscheinen ebenfalls als Disticha. Zu ihr tritt bei den alten Indern und Iraniern die tristichische, tetrastichische und pentastichische hinzu; das griechische Volkslied muss selbst für den Hexameter dieselben Strophencombinationen gekannt haben; denn sicherlich sind die hierher gehörenden Strophen der äolischen Lyrik und der Bucoliker keine Neuerung.

Die Strophe ist entweder eine isometrische, aus gleichen Versen bestehende, oder es traten verschiedene Reihen zu einer Strophe zusammen. Die letzteren sind im Veda schon zahlreich vertreten, und es ist interessant, wie sich die satobṛihatî-Strophe

· · · ·, · · · ·, · – ᴗ ⏓ [1])
· · · ·, · – ᴗ ⏓

unmittelbar mit dem sogenannten jambischen πεντάμετρον des Archilochus berührt:

· – ᴗ –, · – ᴗ –, · – ᴗ ⏓
· – ᴗ –, · – ᴗ ⏓

Ὦ Ζεῦ πάτερ Ζεῦ, σὸν μὲν οὐρανοῦ κράτος,
σὺ δ᾽ ἔργ᾽ ἐπ᾽ ἀνθρώπων ὁρᾷς.

Westphali verba hactenus, ad cuius primum illud oratio nostra redit: nam stropharum structuram neglegentes padis ipsis hendecasyllabis et dodecasyllabis incumbemus.

Dimeter igitur iambicus Graecorum, ut Westphal ait, ex eodem versu primigenio atque ordines octosyllabi Zendavestae et Vedae ortus est, itemque trimeter acatalectus et catalectus ex eodem versu primigenio atque ordines hendecasyllabi et dodecasyllabi carminum vedicorum. Apud Iranios Westphal quidem hendacasyllabos, non dedecasyllabos ordines reperit, sed acatalecta forma antecedit catalectam. Itaque Westphal hanc prodit dispositionem:

1. Dimeter.

a. Iranier · · · ·, · · · · (Yaçna 9)
b. Inder · · · ·, · – ᴗ – (Anushṭubh und Gâyatrî)
c. Griechen · – ᴗ –, · – ᴗ –.

---

[1]) Westphal ambiguitatem syllabae hac nota · significat.

2. Akatalektischer Trimeter.

a. Iranier . . . ., ..., ..., (?)
b. Inder . . . ., ..., . – ⏑ – (Jagatî)
c. Griechen . – ⏑ –, . – ⏑ –, . – ⏑ –.

3. Katalektischer Trimeter.

a. Iranier . . . ., ..., . . .
b. Inder . . . ., ..., ⏑ – ⏑ (Virâj und Trishṭubh)
c. Griechen . – ⏑ –, . – ⏑ –, ⏑ – ⏑

Huc addimus Westphali verba, quae alio loco (p. 454) fecit:

„Die Iranier sind gleichgültig gegen die Prosodie geblieben, die Inder machten den ersten Fortschritt zum quantitirenden Verse, indem sie dem Ausgange eine prosodische Bestimmtheit gaben, bei den Griechen ist diese letztere völlig ausgebildet und zum obersten Princip erhoben. Aber in einem Punkte zeigt sich auch bei den Griechen noch ein Rest aus jener der vollendeten prosodischen Metrik vorausgehenden Stufe, auf welcher sie in der Vorzeit zusammen mit den Indern gestanden haben. Bei den Indern ist die erste Hälfte des Dimeters prosodisch unbestimmt, bei den Griechen die erste Häfte der Dipodie, in welcher der Trochäus mit dem Spondeus wechseln kann.“ Deinde p. 455. „In der nachvedischen Zeit treten auch die Inder auf die völlig prosodirte Stufe der griechischen Metrik, vornehmlich jedoch in logaoedischen Bildungen, zu welchen sie die Vedenverse umformen. Es wird der akatalektische Trimeter zum Vaṃçasthâ

. . . ., ..., ...
. – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ –,

der katalektische zum Indravajrâ

. . . ., ..., . . .
. – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, . – ⏑.

Auf dieser Stufe ist die prosodische Freiheit der Inder dieselbe wie bei den Griechen, nur die Anfangssilbe der anlautenden Dipodien ist unbestimmt. Die syllaba anceps im Auslaut des Verses versteht sich von selbst. Wenn die mittlere Dipodie zum Choriambus geworden ist, so ist auch hierfür der Anfang in den vedischen Versen gegeben, in denen, wie mir Herr

Professor Stenzler mittheilt, die choriambische Form für die zweite Dipodie vor allen übrigen viersilbigen Füssen entschieden vorwiegt."

His verbis Westphal schema hendecasyllaborum et dodecasyllaborum ordinum supra datum ex parte ipse irritum facit. Nam cum formam choriambicam in carminibus vedicis iam praeponderare concedendum sit, ordines vedici non tam quantitate ambigua sunt, quam duobus his Westphali schematibus demonstrari videtur:

....., ..., .⏑̱⏑– (Jagatî)
et ....., ..., ⏑–⏑ (Virâj et Trishṭubh).

Et accurate disputantis est videre, num etiam ordines choriambo carentes loco choriambi prosodiae dispositionem certam praebeant.

Idem Westphal cum alio loco (p. 441) doceat in metris vedicis ex diiambo finali prosodiaca dispositione praedito satis cognosci posse iambicum in antecedenti ordinis parte numerum, praetermisisse videtur in choriambicis ordinibus vedicis non solum exitum, sed etiam maximam partem ordinum prosodiaca dispositione esse instructam neque iambico, sed logaoedico numero esse.

At tamen Westphali praeceptum rectum est: quamquam ad Vedas non iam pertinet, sed ad temporis spatium Vedas praecedens, ex quo litterae non supersunt. De quo tempore illud praeceptum his verbis dandum est: Si in metris, quae transitum a numeranti arte metrica ad quantitativam efficiunt, ordines eiusmodi inveniuntur, qui exitum iambica prosodia praeditum, reliquam ordinis partem ambiguam (id quod in vedicis ordinibus iam non occurrit nobis) praebeant, hoc exitu iambico postulatur, ut etiam antecedens pars iambico numero metienda sit. Qua de causa? Quod in arte metrica syllabas numeranti pedum aequalitas non solum numeri, sed etiam schematis versatur:[1]) quae aequalitas etiam in transitionis spatio tamdiu manet, quoad quantitatum ratio mutationem schematis non efficit.

---

[1]) Hac de re accuratius disseruimus disputatione ampliore, quam in lucem edituri sumus.

Sed redeamus ad padas vedicos stropharum trishṭubh et jagatî. In his prosodiae constantia multo magis increbruit, quam Westphal censuit, cum Indorum tantum doctrinam a Colebrookio explicatam (Asiat. Res. X et denuo Misc. Ess. II) spectaret. Inde ab hoc tempore metrica restitutio carminum vedicorum valde aucta est. Maximam autem vim adnotationi Grassmanni (KZ XVI p. 164) tribuimus, qui in padis hendecasyllabis et dodecasyllabis vedicis ea ipsa argumenta invenit, quibus fundamento usi opus nostrum instituemus. Ac primum quidem Grassmann docet pados hendecasyllabos et dodecasyllabas eodem modo esse formatos, cum haec dicat: „Die elf- und zwölfsilbigen Zeilen haben ganz gleichen Bau, nur dass die zwölfsilbigen am Schlusse eine Silbe mehr haben.“ Tum formas constituit, quas Ṛigvedae proprias cognovit. Duae in his sunt res, quae plurimum ad disputationem recte instituendam valent:

1. caesura[1]) post quartam aut quintam syllabam constantissime posita.

2. prosodiae distinctio hac caesura inter priorem et posteriorem ordinum partem effecta. Grassmann dicit: „Die Silben vor diesem Einschnitt sind von unbestimmter Dauer (Quantität), hingegen die Silben nach diesem Einschnitte haben, worauf wohl noch nicht aufmerksam gemacht ist, in beiden Fällen (mag die Cäsur nach der vierten oder fünften Silbe stehn) eine fast genau bestimmte Messung, nämlich nach dem fünfsilbigen Einschnitte die Messung[2])

I. ⏑⏑–⏑–⏑–, viel seltener II. –⏑–⏑–⏑–

und nach dem viersilbigen Einschnitte

I. ⏑⏑––⏑–⏑–, seltener II. –⏑––⏑–⏑–.

Im zweiten Falle treten noch einige seltenere Formen auf, namentlich

III. ⏑⏑⏑–⏑–⏑– und IV. –⏑⏑–⏑–⏑–.

---

[1]) hanc primus Kuhn commemorat: Kuhn und Schleicher, Beiträge III p. 117.

[2]) haec mensura ad ordines dodecasyll. refertur.

Dagegen erscheinen die folgenden zwei Formen so selten, dass sie auch auf eine spätere Periode hindeuten mögen.

V. ⏑–⏑–⏑–⏑– und VI. ––⏑–⏑–⏑–.“

Si hoc a Grassmanno recte iudicatum esset, hae formae schemata V. et VI. continentes tempore sequenti frequentiores fierent: sed adeo non augentur, ut post Ṛigvedae tempora perpaucae aut fere nullae inveniantur. Quo demonstratur ambos ordines in Ṛigveda iam non increscere, sed decrescere. Consentaneum est schema iambicum primigenium adhuc iis inhaerere, dummodo ambiguitatem quantitatum maximam partem in constantiam et legem se vertisse meminerimus. Ad hos ambos ordines iambicos adiungendus est ordo, ad quem caesura post quintam syllabam posita Grassmanni schema II. (nach dem fünfsilbigen Einschnitte) pertinet. Huic ordini eadem caesura inest, quam Graeci in trimetro iambico

⏒ ⏑́– ⏑ ⏑́– ⏓ | ⏑́– ⏑ ⏑́– ⏒ ⏑́– ⏑ ⏑́–

πενθημιμερῆ dicunt.

Quid! Grassmanni schema IV. (nach dem viersilbigen) et I. (nach dem fünfsilbigen Einschnitte) exeuntem partem schematis padarum indravajrâ et vaṃçasthâ agnoscimus. Ex schematibus I. II. III. (nach dem viersilbigen Einschnitte) est III. Vedarum proprium: nam temporibus quidem carmina vedica sequentibus magis magisque evanescit.

Schemata I. et II. classico tempere in formas padarum vâtormî et çâlinî transgressa invenimus.

Cum primum id agatur, quae numeri formae in ordinibus trishṭubhjagaticis versentur, iudicium de Grassmanni sententiis diligentius posthac faciamus neque nunc spectemus nisi hoc unum, quod ordinibus trishṭubhjagaticis vedicis posteriora metra quantitatibus instructa

1. indravajrâ et vaṃçasthâ
2. vâtormî et çâlinî

praeparata sunt.

Itaque a ratione non abhorret priore commentationis nostrae parte in haec classica metra inquirere, quali numero praedita sint: hac quaestione absoluta certum disputationis fundamentum condiderimus.

Prior pars.

---

a. Padae stropharum indravajrâ et vaṃçasthâ
b. Padae stropharum vâtormî et çâlinî
qua numerorum natura sint.

In hos padas plerique ordines trishṭubhjagatici transierunt.

a. De metris vaṃçasthâ et indravajrâ.

A metro jagatî vedico posterius vaṃçasthâ, a trishṭubh vedico posterius indravajrâ ortum est, ut ait Westphal. Nos accuratius Grassmanni schemata spectantes dicimus haec:

A parte quadam ordinum trishṭubhjagaticorum vaṃçasthâ, ab alia parte indravajrâ est ortum. Vaṃçasthica stropha quatuor padas pares continet huius formae

⏑–⏑– –⏑⏑–⏑–⏑–.

Eam Piñgala in chandaḥsûtra affert ineunte classe jagatica, qua omnes strophas ex quatuor padis dodecasyllabis paribus compositas complectitur, et ei indravaṃçam postponit. Differunt duo metra incipienti tantum syllaba, quae est prima arsis: et hanc ob rem non diversi, sed eidem ordines rhythmici sunt habendi, quorum prima arsis ex priore metrorum aevo ambiguitatem, quae efficitur longa (χρόνῳ ἀλόγῳ περίπλεῳ vel mora sescupla) brevive syllaba ad arbitrium positis, sibi conservavit. Itaque duos ordines comprehendimus in unum, cuius forma haec est:

⏓–⏑– –⏑⏑–⏑–⏑–,

eum vaṃçastham nominare placet. Formationem autem habet dactylo admixto logaoedicam, quae in poesi chorica et in fabulis scenicis Graecorum primum fere locum tenet. Hi ordines

logaoedici generis duplicis[1]) sunt, cum singuli pedes tribus moris constent et hac ratione partium sint: thesis : arsis = 2 : 1. Hic pedes generis paris[2]) cum pedibus generis duplicis uno ordine coniuncti sunt, ita ut pedes generis paris id est dactyli (vel anapaesti) modum rhythmicum generis duplicis id est trochaeorum (vel iamborum) accipiant: ita continuationis rhythmicae aequalitas retinetur.

Rhythmici Graeci docent eos dactylos cyclicos (vel anapaestos) thesin bipartitam et arsin simplicem habere et eam thesin longa irrationali sescupli temporis (χρόνῳ ἀλόγῳ) et brevi dimidii temporis (χρόνῳ βραχέος βραχυτέρῳ), arsin brevi usitata (χρόνῳ βραχεῖ) unius temporis sive morae constare. Secundum hanc dotrinam dactylus cyclicus specie est hac:

thesis : arsis = 2 : 1.

$1\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ 1

– ◡ ◡

χρ. ἄλογος: χρ. βραχέος βραχύτερος: χρ. βραχύς

Rossbach[3]) quidem locos antiquorum, qui ad hanc rem attinent, ita interpretatus est. Haec tempora dactylo cyclico inesse debent, si modo in legendo quis diligenter legem numeri sequi vult.

Praeterea huius ordinis logaoedici elisa arsi quadam metrica continuatio interrupta est. Haec elisio, quam Rossbacho et Westphalo auctoribus syncopen vocamus, dactylum cyclicum antecedit. Qua effecta thesin antecedentem in τρίσημον[4]) trium morarum protrahi opus est.

Secundum Aristoxeni doctrinam singulos ordines rhythmicos pari modo in duas partes (thesin et arsin) divisos esse atque singulos pedes constat. Auribus duae partes distin-

---

[1]) γένος διπλάσιον sive ἰαμβικόν.

[2]) γένος ἴσον sive δακτυλικόν.

[3]) RW I p. 138. Alio modo Aristoxenum secutus Westphal iudicat: cf. RW II, 2 p. 330.

$\frac{4}{3}$ $\frac{2}{3}$ 1

– ◡ ◡

thesis : arsis

[4]) RW I p. 38.

guuntur, cum vox diversa intentione pronuntiat. Thesis ordinis efficitur fortissima percussione (ictu) et totum ordinem temperat in unumque redigit. Arsis leviorem percussionem habet. Ceteri ictus cum duabus percussionibus gravissimis coniuncti inferioris sunt.[1]) Vaṃçasthicus ordo videlicet iisdem partibus compositus iisdemque variis percussionibus instructus est. Sed cum ne in Graeca quidem re metrica satis constet, quales sint ordinum partes rhythmicae, quemadmodum haec res apud Indos sit, non quaeremus.

Nunc schema vaṃçasthici ordinis rhythmicis notis constituimus hoc:

⏓ –́ ⏑ ⎵́ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́.

Nota ’ theses significantur, nota ⎵ syllabae trium morarum. Hic ordo hexapodia est et μέγεθος habet ὀκτωκαιδεκάσημον, quo ad maius ordines generis duplicis pervenire posse rhythmici Graeci negant. Ordinem esse unum et continuum statuimus, quamquam nihil aliud argumento est, nisi quod Graeci iisdem ordinibus aut similibus utuntur. Sed in altera parte ordinis unitatem accuratius demonstrare conabimur.

In his, quae disseruimus, a ratione artis metricae Graecae discrepuimus. De prima arsi agitur, quam in vaṃçasthico ordine logaoedico eodem modo in tactuum partibus numeravimus atque Graeci primam arsin iamborum et anapaestorum. Aliter logaoedici ordines recensentur: eos Godofredus Herrmann et Augustus Boeckh metra thesi incipientia arbitrantur, qua re arsis antecedens anacrusis nominata seiungitur. Haec anacrusis idem tempus est, quod a musicis nostris nomine Auftakt significatur et extra numerum ponitur: itaque non multum interest, num anacrusis desit, cum ordinis rhythmici continuatio non mutetur vel turbetur. At re ipsa duae rationes non differunt. Provenerunt enim ex diverso metrorum usu: nam iambi et anapaesti pedum formae sunt propriae, cum longo praeparationis spatio quasi vetustate id effecerint, ut a rhythmicis pro-

[1]) RW I p. 67 s. et 70 s. II, 2 p. 380 sequ. Rossbach et Westphal partibus ordinum diiudicandis inter se distant.

prii pedes agnoscerentur. Contra ordines logaoedici sunt posteriora metra, quae ex Alcmani fere temporibus exstant et propter varietatem conformationis percontandi studium rhythmicis et antiquis et nostris vehementer inflaverunt. Ratione autem ea, qua Graecorum rhythmici dactylum cyclicum interpretabantur, nostris anacruseos notio ante oculos adducta est. Qua interpretatione colligendum est ἀντίστροφον dactyli cyclici id est anapaestum cyclicum existere non posse. Nam cum dactylus cyclicus sic sit:

$1\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ 1
– ∪ ∪
thesis arsis,

anapaestus cyclicus non alio modo quam hoc:

1 $\frac{1}{2}$ $1\frac{1}{2}$
∪ ∪ –
arsis thesis

cogitandus est. Duae res accedunt: Una quod anapaestus hanc quidem temporum distributionem habet, si logaoedicum ordinum incipit et duas breves dactylus cyclicus sequitur ita: 1 $\frac{1}{2}$ $1\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ 1 (∪ ∪ – ∪ ∪). Sin autem trochaeus sequitur, arsis anapaesti rationalis duas moras complectitur sic: 1 $\frac{1}{2}$ 2 1 (∪ ∪ – ∪). Altera causa est, quod in medio ordine logaoedico dactyli cyclici, non anapaesti cognoscuntur, quod illa temporum distributione, quam supra anapaestis cyclicis adscripsimus, continuatio generis duplicis perturbatur.

Quae discrepantia tollitur secreto eo tempore, quod Auftakt vocatur. Quo facto ordo logaoedicus ex dactylis et trochaeis constat remotis anapaestis et iambis. Anacruseos tres sunt formae: brevis, longa irritationalis sescupli temporis, duae breves sescupli temporis.

Anacrusis eadem in ratione est posita, quae in hodierna arte musica viget. Qua inventa omnis continuatio rhythmica thesi incipit et universa metrorum doctrina ad unam legem revocatur. Iure igitur anacrusi inducta etiam iambos et anapaestos in trochaeos et dactylos anacrusicos vertimus.

Sed tamen priorem statum conservamus, quod usus iamborum et anapaestorum latius vagatur, quam ut exstinguere

conemur. Ac longius progressi etiam logaoedicos ordines in modum iamborum et anapaestorum tractamus, iure quidem, cum continuationem conformationis a iambico numero primigenio ad logaoedicum posteriorem propagatam demonstraturi simus.

Nunc redeamus ad Indorum metra.

Ordines vaṃçasthâ ⏑ –́ ⏑ ⊔́ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́
et indravaṃçâ – –́ ⏑ ⊔́ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́

aut uterque solus quater repetitus aut ambo inter se mixti strophas efficiunt. Quas mixtas strophas upajâti (subspecies) dicunt: Piṅgala nondum affert, sed Colebrooke (As. Res. X p. 427) narrat eas in Ramayana et in Prabodhacandrodaya inesse.

Pari modo ac vaṃçasthâ et indravaṃçâ inter se indravajrâ et upendravajrâ congruunt, quae ex metro trishṭubh vedico nata sunt. Piṅgala[1]) trishṭubhicam classem, quae strophas quatuor padarum hendecasyllaborum complectitur, duabus his formis auspicatur:

indravajrâ – – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ – –
et upendravajrâ ⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ – –.

Differunt initio solo, quod idem est atque in vaṃçastha. Itaque duos ordines in unum redigimus ⏓ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ – –, quem uno nomine indravajram appellamus. Videmus hunc ordinem a vaṃçastha fine discrepare. Eandem habet formationem logaoedicam: dactylum admixtum cyclicum, longam, quae antecedit, τρίσημον interpretamur. Prima arsis pariter atque in vaṃçastha anceps est.

Ad finis discrepantiam revertamur. Catalectus enim ordo est indravajrâ, acatalectus vaṃçasthâ: ultima arsis in indravajra est elisa, in vaṃçastha conservata. Catalexeos igitur notio eadem est quae syncopes: nam ambae in eo sunt positae, quod arsis rhythmica rhythmizomeno linguae non exprimitur. Qua de causa thesis catalexin antecedens protrahenda est, ut spatium deficientis arseos expleat. In indravajra thesis paenultima ad τρίσημον prolongatur.

---

[1]) 6, 16—26. cf. Weber ISt VIII p. 371.

Hoc verum esse tum cognoscitur, cum bini ordines indravajrici una periodo consociantur, id quod plerumque classico tempore fit. Prior enim ordo indravajricus in longam ultimam exit, quae theseos locum — quod ordo consequens arsi incipit — obtineat necesse est: neque enim aliter pro numeri lege continuatio tactuum servatur. Exemplum promere licet ex Çakuntala 55 (Pischel p. 47):

adyâpi nûnam harakopavahnis
tvayi jvalatyaurva ivâmburâçau |
tvam anyathâ manmatha madvidhânâm
bhasmâvaçeshaḥ katham evam ushṇaḥ ||

_⊥⏑⊥̲ ⊥⏑⏑⊥⏑⊥̲ ⊥ ⎫ prior ordo periodus
⏑⊥⏑⊥̲ ⊥⏑⏑⊥⏑⊥̲ ⊥ | ⎭ (çlokârdha)
⏑⊥⊥⊥̲ ⊥⏑⏑⊥⏑⊥̲ ⊥ ⎫ posterior ordo periodus
_⊥⏑⊥̲ ⊥⏑⏑⊥⏑⊥̲ ⏑ || ⎭ (çlokârdha)

Indravajrâ igitur idem μέγεθος quod vaṃçasthâ habet, est eadem hexapodia et rhythmica mensura hac:

⏓⊥⏑⊥̲ ⊥⏑⏑⊥⏑⊥̲ ⏑

Cum vaṃçastha numero congruit, differt autem metro, cum catalexis fiat.

Ut ex vaṃçastha et indravaṃça, ita ex indravajra et upendravajra strophae upajaticae componuntur, quas iam Piñgala commemorat. Halâyudha ad eundem locum[1]) adnotat quatuordecim esse upajaticas strophas. Tot enim sunt copulationes horum ordinum permutatione effectae. Upajaticae a Kalidasa praecipue adhibitae sunt, qui tria ex septem carminibus Kumarasambhavae hoc metro confecit, idemque in Raghuvaṃça octo ex undeviginti.

In upajaticis numeranda sunt etiam duo metra âkhyânakî et viparîtâkhyânakî, quorum prius formatum est hoc modo:

pâda I. et III. _⊥⏑⊥̲ ⊥⏑⏑⊥⏑⊥̲ ⊥
II. et IV. ⏑⊥⏑⊥̲ ⊥⏑⏑⊥⊥⊥̲ ⊥,

posterius hoc:

pâda I. et III. ⏑⊥⏑⊥̲ ⊥⏑⏑⊥⏑⊥̲ ⊥
II. et IV. _⊥⏑⊥̲ ⊥⏑⏑⊥⏑⊥̲ ⊥.

---

[1]) Piñgala 6, 18 cf. Weber ISt VIII p. 372.

Piñgala (5, 37 et 38) ardhasamavṛitticis ascribit, quod dimidiae stropharum (çlokârdha) inter se pares sunt.

Postremum tradimus etiam vaṃçastham et indravajram cum upajaticis varie misceri et ita miscendo strophas procreari novas. Hae copulationes classico tempore plerumque eo modo fiunt, ut schemata accurate sibi respondeant. Quo antiquiores strophae sunt, eo minus schemata sibi respondent. Afferimus exemplum accuratae responsionis ex Prabodhacandrodaya 25, 11 (ed. Brockhaus):

vidyâprabodhayajanmabhûmir
vârâṇasî brahmapurî niratyayâ
ataḥ kulocchedavidhiṃ vidhitsur
nivastum atrecchati nityam eva saḥ.

a. – –́ ⏑ ⌊́ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⌊́ · –́ indravajrâ
b. – –́ ⏑ ⌊́ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ indravaṃçâ
c. ⏑ –́ ⏑ ⌊́ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⌊́ –́ upendravajrâ
d. ⏑ –́ ⏑ ⌊́ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ vaṃçasthâ

a et c, b et c inter se respondent fine,
a et b, c et d respondent prima arsi.

Mixtura ordinum iam temporum vedicorum est, neque raro in ordinibus jagaticis dodecasyllabis subito ordo trishṭubhicus hendecasyllabus interponitur et vice versa, velut in Ṛv. II, 1, 16 (ed. Aufrecht):

yé stotṛíbhyo góagrâm áçvapeçasam
ágne râtím upasṛijánti sûráyaḥ
asmấñ ca tấṅç ca prá hí néshi vásya ấ
bṛihád vadema vidáthe suvî́râḥ.

– –́ – –́ | – –́ – –́ ⏑ –́ ⏑ –́ jagatî dodecasyll.
– –́ – ⏑́ | λ ⏑́⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ ⏑́ eadem
– –́ ⏑ ⌊́ ⏑́ | ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ eadem
⏑ –́ ⏑ ⌊́ ⏑́ | ⏑⏑ –́ ⏑ ⌊́ –́ trishṭubh hendec.

De singulorum ordinum in stropha connexu haec sentimus: Per aevum classico praecedens padae familiae trishṭubhjagaticae ordines periodi sunt singuli, cum fine verbi, syllaba ancipiti, hiato permisso terminent. Postea demum explicabimus, utrum ii ordines periodi ex uno an ex duobus ordinibus rhythmicis sint copulati. Tum classico aevo, cuius formae certae sunt, duo padae uno ordine periodo saepenumero consociantur,

quo facto in strophis vaṃçasthicis et indravajricis bini ordines periodi stropham conficiunt. Sed litterae huc pertinentes nondum perlustratae sunt, quibus condicionibus syllaba anceps et hiatus admittatur. De caesura quiddam affert Hermannus Jacobi: Verhandlungen des V. Orientalisten-Congresses Berlin 1882 p. 135, ubi auctor numeratis diremptionibus, quibus compositorum partes in fine primi et tertii padae apud Kalidasam et complures alios poetas secernuntur, successum horum poetarum continuum constituit.

b. De metris çâlinî et vâtormî.

Gens trishṭubhjagatica non solum indravajram et vaṃçastham, sed etiam çalinim et vatormim procreavit, quarum originem in metris vedicis insitam nemo intellexisse videtur. Schemata haec sunt:

çâlinî[1]) – – – – | – ⏑ – – ⏑ – –
vâtormî[2]) – – – – | ⏑ ⏑ – – ⏑ – –

In utroque caesura ponitur post quartam syllabam. Exitus — nempe quatuor terminantes syllabae — duorum padarum accurate exitui ordinis indravajrici respondent. De praecedenti padarum parte praemonemus in strophis trishṭubhjagaticis aevi vedici formas indravajravaṃçasthicas, çalinicas, vatormicas varie strophis copulari. Ut Rv. II, 17, 4 (ed. Aufrecht):[3])

ádhâ yó víçvâ bhúvanâbhí majmánâ
îçânakṛ́t právayâ abhy ávardhata
ấd ródasî jyótishâ váhnir ấtanot
sîvyan támâṅsi dúdhita sám avyayat.

⏑ –́ – –́ –́ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ forma vaṃçasth.
– – ⏑ – | ⏑⏑ – – ⏑ – ⏑ ⏑ forma vatormica
– – ⏑ – | – ⏑ – – ⏑ – ⏑ – forma çalinica.
– –́ ⏑ –́ ⏑́ ⏑⏑ ⏑́ ⏑ –́ ⏑ –́ forma vaṃçasthica.

Quo elucet

primum: in metris câlinî et vâtormî syllabas ante caesuram quatuor pariter atque indravajrâvaṃçasthâ iambicum numerum continere:

---

[1]) Piṅgala 6, 21 } cf. Weber ISt VIII, 374.
[2]) Piṅgala 6, 20 }

[3]) Aliud exemplum cf. Rv. II, 27, 15.

deinde: in metro çâlinî pedem | – ⏑ –,
in vâtormî pedem | ⏑ ⏑ –

eundem locum quem in indravajravaṃçastha dactylum cyclicum tenere.

Sed qui fit, ut in metris vâtormî et çâlinî post quartam syllabam caesura semper sit, cum neque in indravajra neque in vaṃçastha ab Indis ulla caesura commemoretur? Arbitramur hoc: quod metra çâlinî et vâtormî ex binis ordinibus sunt composita, cum indravajrâ et vaṃçasthâ padae simplices vel singuli ordines sint. Quam ob rem metiendum est ita:

çâlinî – ″ – ⊥ | λ ″ ⏑ – ⊥ ⏑ ⊥ ⊥

vâtormî – ″ – ⊥ | λ ⏑⏑ – ⊥ ⏑ ⊥ ⊥

Duos ordines utriusque padae nota ″ significamus, quam in prima ordinis thesi ponimus. λ est λεῖμμα. λεῖμμα est χρόνος κενός[1]) sive pausa morae, cum mora rhythmizomeno non exprimitur vel arsis brevis syncopatur. Supra in metro indravajrâvaṃçasthâ intelleximus syncopa thesin antecedentem in τρίσημον extendi posse. Sed hic pausam rhythmicam statuimus: nam

et caesura cum certa sit, repugnat extendendae praecedenti thesi,

et vedico aevo thesis praecedens frequentissime brevi expressa est, quam ob rem extendi non potest.

Ut Rv. VII, 11, 1

mahấn̊ asi adhvarásya praketó
ná ṛité tvád amṛ́tâ mâdayante
ấ víçvebhiḥ saráthaṃ yâhi devaír
ní agne hótâ prathamáḥ sadehá

⏑ ⊥ ⏑ ⊥ | λ ⊥⏑ – ⊥ ⏑ ⊥ ⊥
⏑ ⊥ – ⊥ | λ ⏑⏑ – ⊥ ⏑ ⊥ ⊥
– ⊥ – ⊥ | λ ⏑⏑ – ⊥ ⏑ ⊥ ⊥
⏑ ⊥ – ⊥ ⊥ | ⏑⏑ ⊥ ⏑ ⊥ ⊥

Metra çâlinî et vâtormî ex padis binorum ordinum constant, sed tantum abest, ut uterque ordo per se motum rhythmicum

[1]) RW I § 11 (p. 49).

absolutum efficiat, ut ambo ordines unum constituant vel ordo periodus sint. Observamus enim tempore vedico syllabam ancipitem et hiatum satis frequentem in fine padae exstare. Classico tempore aeque atque in padis indravajricis et vaṃçasthicis suspicamur padis binis finitimis ordinem periodum effici. Sed quaestio adhuc deest.

Nunc utrumque padam per se solum tractabimus.

1. De metro çâlinî.

– ″ – ⏊ | λ ″ ⏑ – ⏊ ⏑ ⏊́ ⏊

Indrajram et vaṃçastham supra generi duplici attribuimus. Çâlinim igitur propter eandem originem eidem generi duplici ascribere debemus. Sed duae res novitate quadam animum movent, si schemata Graeca conferimus:

una: longa arseos secundae
altera: creticus post caesuram positus.

Longa primae arseos manifesta est: nam cum ante ictum primum ordinis ponatur, qui fortissimus est, et ipsa gravissima esse debet. Est eadem χρόνος ἄλογος περίπλεως sescupli temporis aeque atque arsis prima ordinis indravajrici et vaṃçasthici.

Longam autem secundae arseos Graecam rationem secuti interpretari non possumus. Sed in altera quaestionis parte Indicas res solas spectantes aperiemus. Hoc unum iam proferre licet illam esse item χρόνον ἄλογον περίπλεων sescupli temporis,[1]) quod generi duplici conveniat. Eodem loco tempore vedico brevis est frequens.

Creticus inter tactus duplices mutationem tactuum vel μεταβολὴν ῥυθμῶν efficit. Ex Graeca poesi pauca sunt exempla, in quibus creticus aut rectus aut solutus itidem cum pedibus generis duplicis congregatur. Paeones enim primi (⏊ ⏑ ⏑⏑) cum dactylis cyclicis uno ordine coniunguntur in Eurip. Bacch. v. 157: tum cretici et paeones (primi aut quarti ⏑́⏑ ⏑ –) cum trochaeis et dactylis apud Pindarum Ol. 2 et dithyr. fr. 54 (Bergk 75).[2]) Rarius inveniuntur ordines

---

[1]) RW I p. 45. Cfr. praeterea basin duplicem quae dicitur in ordinibus glyconeis. RW I p. 144, 5. 6.

[2]) RW p. 550, ubi hae coniunctiones appellantur metrum paeonicologaoedicum.

duplices cum paeonicis in ordinem periodum consociati. In primis laudamus Aristoph. Lysistr. 1014—1038.[1]) Hic et illic tactuum rationes strenuae numeri legi repugnant, cum mixtio tactuum paeonicorum

(⏖́ ⏑ ⏖
– ⏑ –
thesis : arsis = 3 : 2)

cum duplicibus (thesis : arsis = 2 : 1) instituta ab aequalitate tactuum legitima abhorreat. Sed satis constat Graecos mutationem tactuum in legitimis formis artis metricae numerasse.[2]) Et nostrum quidem est fines discribere, in quibus mutatio tactuum versetur: neque enim iam infinito mutationis usu numeri ratio haberi potest. Numero certus ordo partium sibi succedentium vel motus legitimus poscitur, qui hic et illic digressionem quandam, nunquam pertubationem permittit. Proinde exemplorum mutationis a nobis ex Graeca poesi allatorum est proprium, ut in iis paeonicum cum duplici genere, non par cum altero priorum generum unum motum rhythmicum conficiant. Causa huius rei non abdita est: nam

in paenico genere: thesis : arsis = 3 : 2,
in duplici: thesis : arsis = 2 : 1,
contra paris: thesis : arsis = 2 : 2.

In duobus igitur prioribus generibus rationes tactuum sibi admodum approquinquant,[3]) in posteriore autem ratio a prioribus longius abest et coniuncta cum illis numerum vehementius ex alio in alium motum traicit, quam ut numerus integer maneat. Itaque Graecorum animis haec posterior μεταβολή non iam rhythmica videbatur. In Graecorum quidem poesi coniunctio tactuum parium cum duplicibus aut paeonicis in uno motu rhythmico non fit.

Sed μεταβολήν duplicibus ct paeonicis tactibus effectam Graeci eo potius adhibent, quod ita habent, quomodo affectus exprimant. Quin etiam extremum animi dolorem praecipue

---

[1]) RW II, 2 p. 559.
[2]) RW II, 2 p. 547.
[3]) RW III p. 551.

dochmiis significant, in quibus tactus paeonicus (bacchius) cum duplici (iambo) coniugatus[1]) ordinem repraesentat

⏑ –́ – ⏑ –́
bacchius iambus.

In quo duo genera discrepantia partibus sibi paria sunt. Haec est extrema μεταβολή a Graecis admissa et ea ad maximas animi perturbationes accommodata. Westphal ita verba facit: „Wie hier dem Gemüthe alle Ruhe fehlt, wie es aus einer Stimmung in die andere fluctuirt, ohne auch nur auf Augenblicke Ruhe und Frieden zu finden, so folgen Takt um Takt die Maasse verschiedener Rhythmengeschlechter, die Bacchien und Jamben, in raschem, monopodischem Wechsel auf einander.“[2])

His Graecis condicionibus rhythmicis adducimur, ut etiam apud Indos μεταβολὴν ῥυθμῶν agnoscamus. Creticus padae çalinici aequabilem cursum trochaeorum[3]) (thesis : arsis = 2 : 1) paeonica formatione (thesis : arsis = 3 : 2) interrumpit. Et quomodo mutationes numeri a Graecis ita adhibentur, ut compositio rhythmica motui animi accomodetur, simile quiddam apud Indos observatur. Benfey variis locis[4]) creticum in formis çalinicis ordinum trishṭubhjagaticorum patheticum vel maiestaticum pedem vocat, quod plerumque locis patheticis occurrit. Sed haec numeri cum sententiis congruentia apud Indos in vedica tantum arte metrica exstat: nam in hac magnus est numerus ordinum metrica quidem lege diversorum, sed rhythmica congruentium, qui in stropha pariter inter se coniunguntur. Itaque poetae suo arbitrio unum aut alterum eligere licet. Aliter classico tempore fit: nam hic strophae plerumque ex quatuor padis aut penitus aut alternatim inter se aequalibus constantes sine dubio propter uniformitatem licentiam poetae coercent. Proinde mutationes numeri classica aetate frequentissimas vo-

---

[1]) RW III p. 552.

[2]) RW III p. 553.

[3]) Hoc loco trochaei nomine uti cogimur, cum iambos trochaeos anacrusi praemissa formatos interpretemur.

[4]) Benfey AGWG XXIV: Ueber einige Wörter mit dem Bindevocal î im Rv. p. 19. 22. 38.

luptati tribuere debemus, quam Indi ex sono ipso tactuum repugnantium capiebant. Et maxime creticus vel solutiones eius duplicibus tactibus saepissime admiscentur. Exempla, quibus creticum interesse omnibus probabitur, nonnulla proferamus:

Tactus paeonici ordinibus duplicis generis immixti in metris exstant his:

1. udîcyavṛitti.[1])

Halâyudha ad Piñgalae schema affert exemplum hoc:[2])

avâcakam anûrjitâksharam,
çrutidushṭaṃ çrutikashṭam akramam
prasâdarahitaṃ ca ne 'shyate,
kavibhiḥ kâvyam udîcyavṛittibhiḥ

⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́
⏑⏑́ – –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́
⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́
⏑⏑́ – –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́.

Kedâra[3]) autem exemplum suppeditat, quod varietatem metri habet:

udîcyavṛittir dvitîyataḥ
sakto 'grena bhaved ayugmayoḥ

⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ –́ ⏑ –́
–́ – –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́.

Cum Halayudhae et Kedarae primos ordines inter se conferamus, schema commune accipimus hoc:

⏑ | –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́

ana- paeon I
crusis s. cre-
ticus

[1]) Piñg. 4, 38 cf. Weber ISt VIII, 311.

[2]) Weber ISt VIII, 313.

[3]) Kedâra vṛittaratnâkara 2, 15.

2. câruhâsinî.[1])

Halâyudha ad Piñg. 4, 40:

pâda ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́

Kedâra vṛitt. 2, 19:

pâda ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ –́ ⏑ –́

3. pravṛittakam.[2])

Halây. ad Piñg. 4, 39:

çlokârdha ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́
–́ ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́.

Kedâra vritt. 2, 17:

çlokârdha ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ –́ ⏑ –́
–́ ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́.

4. aparântikâ.[3])

Halây. ad Piñg. 4, 41:

⏑́⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́
⏑́⏑ ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ –́ ⏑ –́
⏑́⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́
⏑́⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́.

In his, quae attulimus, exemplis pedes –́ ⏑ ⏑⏑ et –́ ⏑ – promiscue poni videmus: cretici igitur altera longa in duas breves est soluta. Quo elucet hanc esse χρόνον μακρόν duarum morarum, non τρίσημον: nam τρίσημος omnino repugnat solutioni.[4])

5. udgatâ.[5])

Halây. ad Piñg. 5, 25:

mṛigalocanâ çaçimukhî ca
ruciradaçanâ nitambinî
hansalalita gamanâ lalanâ
pariṇîyate yadi bhavet kulodgatâ

---

[1]) Weber ISt VIII, 313.
[2]) Weber ISt VIII, 313.
[3]) Weber ISt VIII, 314.
[4]) RW II, 2 p. 559.
[5]) Weber ISt VIII, 352.

⏑⏑ ⊥ ⏑ ⊥ ⏑ ⏑⏑ ⊥ ⏑
⏖́ ⏑ ⏑⏑ ⊥ ⏑ ⊥ ⏑ ⊥
⊥ ⏑ ⏖́ ⏑ ⏑⏑ ⊥ ⏑⏑ ⊥
⏑⏑ ⊥ ⏑ ⊥ ⏑ ⏑⏑ ⊥ ⏑ ⊥ ⏑ ⊥.

Piṅgala porro (5, 26) docet udgatâm, cuius tertius pâda formam hanc habet: ⊥ ⏑ ⊥ ⏑ ⏑⏑ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥, appellari saurabhakam, et (5, 27) eiusdem padae forma hac ⏖́ ⏑ ⏖́ ⏑ ⏑⏑ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ praeditam esse lalitam. Accepimus igitur tertii padae formas has:

⊥ ⏑ ⏖́ ⏑ ⏑⏑ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥
vel ⊥ ⏑ ⊥ ⏑ ⏑⏑ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥
vel ⏖́ ⏑ ⏖́ ⏑ ⏑⏑ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥.

Haec collatio satis praebet argumenti, quo alterius pedis paeonicam naturam cognoscamus. Nam alia interpretatione, quaecumque est, usi ut tres formas inter se congruere inveniamus, fieri non potest.

2. De metro vâtormî.

– ″ – ⊥ | λ ⏖″ – ⊥ ⏑ ⊥ ⊥

Ad priorem padae ordinem eadem pertinent, quae supra de longis arsibus metri çâlinî diximus: nam çâlinî et vâtormî eundem ordinem priorem habent. Idem est etiam exitus duorum ordinum posteriorum. Proprius autem ordinis vatormici est pes post caesuram positus. Supra iam commemoravimus eum pedem eundem locum obtinere quem creticum çalinicum et dactylum cyclicum indravajravamçasthicum neque dubium esse, quin aeque atque hi pedes etiam ille thesi incipiat: ⏖́ –. Rhythmici Graeci hunc pedem χορεῖον ἄλογον τροχοειδῆ [1]) nominant. Est quidem trochaeus arsi irrationali et thesi soluta coniugatus: neque dactylum interpretari licet eum, cuius thesis soluta et arsis contracta sit. Nam duae res, cum huic sententiae obstant, illam adiuvant:

una, quod nullo in ordine metrorum Graecorum tactus duplices cum paribus coniungi invenimus,

---

[1]) RW I, p. 122.

altera, quod vedico tempore praeter hanc formam vatormicam cum alii ordines reperiuntur tum is, in quo loco pedis ⏖́ – pes hic ⏖́ ⏑ ponitur, qui trochaeus solutus est. Ut Kaṭha-upanishad 2, 23:

nâyam âtmâ pravacanena labhyo
na medhayâ na bahunâ çrutena |
yam evaisha vṛiṇute tena labhyas
tasyaisha âtmâ vṛiṇute tanûm̐ svâm ||

a – ⏑́ – –́ | λ ⏖́ ⏑ –́ ⏑ └́ –́
b ⏑ –́ ⏑ –́ | λ ⏖́ ⏑ –́ ⏑ └́ ⏑́
c ⏑ –́ – ⏑́ | λ ⏖́ – –́ ⏑ └́ –́
d – –́ ⏑ └́ –́ | ⏖ –́ ⏑ └́ –́

Non dubitandum est, quin ⏖́ – in c et ⏖́ ⏑ in a et b pares numeri sint. Sunt sicut dactylus cyclicus generis duplicis. Pes ⏖́ $\underline{\alpha}$ χρόνον ἄλογον sescupli temporis habet.

Neque repugnant ordines posterioris aetatis, qui loco pedis ⏖́ – pedem hunc ⏖́ ⏑ ⏑ habent. Quamquam facile adducimur, ut hunc proceleusmaticum solutionem pedis paris interpretemur, quod rhythmici Graeci proceleusmaticum pari, non duplici attribuunt generi. Tamen ne Graeca quidem in arte metrica proceleusmaticus duplex negandus est. Iambico quidem in trimetro nonnulli proceleusmatici ab omnibus agnoscuntur. Conferendi sunt Rossbach et Westphal III p. 191 s., qui hoc loco diiudicare nequeunt, quo modo ii proceleusmatici legem rhythmicam secuti sint. Verba faciunt haec p. 192: „Denn wenn wir die vier Kürzen des letzteren (Proceleusmaticus) auf den Umfang von drei Moren zurückführen wollen, so müssen wir zwei von diesen Kürzen einem χρόνος πρῶτος gleichsetzen, was der ausdrücklichen Lehre der alten Rhythmiker, dass der χρόνος πρῶτος nicht in kleinere Zeiteinheiten zerfallen kann, widerspricht.“ Nobis quidem scire sufficit proceleusmaticum trium morarum Graecis iure ascribendum esse. Eundem etiam Indis tribuendum esse contendimus. Ii ordines trishṭubhjagatici, qui proceleusmaticum includunt, in duo metra prima tantum arsi differentia classici temporis transeunt.

Quae metra sunt:
unum rucirâ sive atirucirâ[1] ⏑ –́ ⏑ –́ | λ ⏑́⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́
alterum prabhâvatî[2] – –́ ⏑ –́ | λ ⏑́⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́

Ambo metra redeunt ad commune schema hoc:

⏓ –́ ⏑ –́ | λ ⏑́⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́,

cuius prima arsis ambigua est. Rucirâ in Mahabharata strophas et puras et ordinibus vaṃçasthicis intermixtas constituit.[3]) Antea eam invenimus his locis:

Muṇḍa-upanishad 3, 2, 8ᵈ ⏑ –́ ⏑ –́ | λ ⏑́⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ ⏑́⏑ –́
Ṛigvedaprâtiç. 1, 24ᶜ – –́ – –́ | λ ⏑́⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ ⏑́⏑ –́

In Mahavaggae ordinibus trishṭubhjagaticis ordo, qui proceleusmaticum continet, inest, quem conferas in Oldenbergi editione Vinayapiṭakae I p. 359 str. 2ᶜ hoc schemate compositum

– –́ ⏑ ⏑́ | λ ⏑́⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ ⏑́.

In Mahabharata series stropharum trishṭubhicarum duos ordines proceleusmaticis instructos continet:

I, 10605ᶜ
I, 10612ᵇ } – –́ – –́ | λ ⏑́⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ ⏑́⏑ –́.

Postremo loco interpretationem formae vatormicae proferimus, quam Benfey et aliis locis et AGWG XIX: Ueber die indogermanischen Endungen des Genitivus Sing. îans, îas, îa instituit: syllabarum enim copulationem hanc | ⏑ ⏑ – – ionicum a minore dicit. Similiter iudicat Oldenberg ZDMG XXXVII p. 54, cum tres syllabas caesuram sequentes anapaesti nomine appellet: quo efficitur eum ictum in longa collocare sic: ⏑⏑ –́. Huic conformationi repugnant haec:

primum, quod pes | ⏑ ⏑ – eandem vim rhythmicam habet quam pedes | –́ ⏑ – et –́ ⏑ ⏑, quorum priorem partem ictu esse notatam manifestum est,

---

[1]) Colebrooke Misc. ess. II, p. 161 (VIII, 16).
[2]) Colebr. l. c. (VIII. 16).
[3]) Sic in parte Mahabharatae I, 1073—1545.

deinde, quod pes | ⏑⏑– pariter oritur ac pedes | ⏖́ ⏑ et | ⏖́ ⏑⏑, in quibus thesin solutam esse constat,

tum, quod caesura ante pedem ⏑⏑– constans, si hunc duceremus anapaestum ⏑⏑–́, iusta interpretatione careret. Indica enim in arte metrica saepius fit, ut syncope arseos et caesura eodem loco coincidant.

Priore parte absoluta iterum commemoremus duas res a nobis nondum vel non satis illustratas. Una est longa arseos alterius in ordinibus prioribus çalinicis et vatormicis

$\overset{\alpha}{—}$ –́ $\overset{\alpha}{—}$ –́ | .

Certum autem est eam sicut primam arsin χρόνον ἄλογον (α) sescupli temporis esse, cum universus pâda genus duplex sequatur. Altera est, quod binorum ordinum padas esse et çâlinicum et vâtormicum, qua causa constantiam illam caesurae post quartam syllabam positae effici iudicavimus. Nam padas indravajricum et vaṃçasthicum contulimus, quos caesura plane carere Indi docent: qua comparatione adducti çalinim et vatormim padas ex binis ordinibus compositos, indravajram et vaṃçastham padas singulorum ordinum esse censuimus. Has duas res argumentis confirmare alterius partis est.

Altera pars.

Padae gentis trishṭubhjagaticae definiuntur, cui numero subiecti sint et quomodo inde a carminibus vedicis usque ad tempus classicum mutentur.

Vidimus magnam partem padarum trishṭubhjagaticorum in formas certas indravajrâvaṃçasthâ, çâlinî, vâtormî se vertisse. Interpretati sumus has formas extremas, quatenus ipsa natura et paucis argumentis ex priore aetate hic et illic allatis cognoscuntur. Huius prioris aetatis iam conemur definire formas, quo sint numero, qua continatione ab antiquissimis temporibus usque ad illam classicam aetatem sint productae. Fundamenta nobis sunt duo: et notitia de rhythmicis condicionibus illarum classicae aetatis formarum accepta, et hexapodia iambica ambiguis quantitatibus instructa. Quae forma primigenia ponenda est, in quam unam omnes padae stropharum trishṭubhjagaticarum revocandi sunt. Qua origine commoti gentem trishṭubhjagaticam proposuimus.

Disputantes nos non opus est per gradus in priorem aetatem retro ire, quod imagines formarum classico tempore usitatarum iam in carminibus vedicis satis perspicuae exstant. Quae retroversa disputatio eo magis repudianda est, quod de ordine dubitamus, quo litteras nobis tractandas disponamus. Accedit, quod historicae continuationis explicatio poscit, ut ab antiquissimis temporibus egressi ad posteriora transeamus.

Incipiamus igitur carminibus Ṛigvedicis Grassmanni schemata secuti.

Grassmann eas formas profert exemplis frequentissimis probatas, quas quidem legitimas significamus. Praeter has aliae sunt rariores vel passim adhibitae, quarum tamen rhythmica conformatio definiri poterit, si modo satis magnus numerus ordinum collectus erit, quibus numerus eluceat. Nam temporibus carminum vedicorum, brahmaṇarum, upanishadum quantitates ordinum paulatim ex ambiguitate in constantiam vertuntur, cuius mutationis progressum non alio modo quam numerando cognoscere possumus: syllabae enim magis magisque in certum usum inclinant.

Grassmanno auctore constat ordines hendecasyllabos et dodecasyllabos iisdem numeri condicionibus contineri et caesura post quartam et quintam syllabam instituta priorem et posteriorem ordinis partem ita distineri, ut duae partes metro aliquantum differant. Sed a Grassmanno dissentimus et habemus persuasum differentiam inter duas ordinis partes non ita esse, ut prioris ambiguitas quantitatum, posterioris constantia propria sit. Contra theses et arses diversa ratione recensendae sunt: nam theses multo prius ad constantiam prosodiacam adducuntur quam arses. Hoc cadit in Romanorum saturnium, cuius theses longae aut breves duplices, arses ambiguae sunt.[1]) Eodem modo in ordinibus trishṭubhjagaticis aevi vedici omnes theses prima excepta longae sunt, nisi thesis caesuram antecedit: nam hoc loco thesis vetustiore statu conservato aut longa aut brevis i. e. ambigua est. Contra arses ultima jagaticorum ordinum excepta omnes aliquid ambiguitatis et varietatem usus praebent. Procedunt autem arses ab ambiguitate ad constantiam usus eo prius, quo propriores finem ordinis sunt.

Quae syllabae theses, quae arses sunt?

Quos ordinis locos hae, quos illae teneant, quodam modo ex classicis metris indravajrâvaṃçasthâ, vâtormî, çâlinî effici potest. Sed argumenta praebent etiam carmina vedica, cum de quantitatum constantia quaeramus.

Cum locis padae certis certa quantitas tam crebra est, ut poetarum consilium quoddam intellegatur, haec prosodiae

---

[1]) RW II, 2 p. 253.

constantia numero effecta est. Videmus enim in carminibus vedicis certis padae locis semper longas exstare. Quibus locis ictus tribuimus, cum eas syllabas theses agnoscamus. Quod rectum esse demonstratur congruentia, quae nostra sententia inter schemata padarum trishṭubhjagaticorum vedicorum et indrayajravaṃçasthicorum, vatormicorum, çalinicorum oritur. Sic duabus rationibus ad eundem finem pervenimus.

Adiumentum nobis est, quod ipsis locis, quos ictibus notavimus, in Ṛigveda frequentissime longae vocales reperiuntur, quas eadem verba aliis locis ac praecipne posteriore tempore breves habent. Quod maxime in vocales finales a, i, u cadit, quae interdum praeter consuetudinem prolongantur. Has etiam Indi cognoverunt in octava et decima syllaba hendecasyllaborum et dodecasyllaborum longas[1]) fieri. Hoc intium recognitionis metricae Benfey in commentationibus suis (Quantitätsverschiedenheiten u. s. w., 6 Abhandlungen, in AGWG vol. XIX—XXVII) longius produxit. Exposuit enim hanc prolongationem, quam vocat „Dehnung", non solum in octava et decima syllaba, quibus quidem locis legitima est, sed etiam in septima et quinta, rarius in quarta et altera, interdum in tertia syllaba horum padarum inveniri. Hae prolongationes sine dubio ex priore linguae spatio supersunt, quae per numerum conservatae sunt. Nam opinio eorum, qui numero ipso eas procreatas esse censent, quod quidem ad Rigvedam attinet, a veri similitudine abhorret: ea enim tamquam imperatoria potestas, quae prosodiam linguae moderatur, non Ṛigvedicae artis est, sed eius, quae ad summam constantiam quantitatum processit.

Quantum numerus ad longas has antiquas variis locis conservandas valuit?

Usitatissimi ordines hendecasyllabi et dodecasyllabi vedici has formas habent:

---

[1]) Longam saṃhitâ continet, quae carminum forma a recitantibus antiquitus voce tradita est. Pada autem brevem habet, quod in eo verba saṃhitae in consuetudinem sermonis posterioris mutantur.

	2		4	5		7	8		10	
II, 1ab[1]) ⏒	⏒́	⏓	–́	⏓́ |	⏑⏑	–́	⏒	⏓́		⏓́[2])
III, 1 ⏒	⏓́	⏒	⏓́ |	λ ⏔́	–	–́	⏒	⏓́		⏓́
III, 2 ⏒	⏓́	⏒	⏓́ |	λ ⏔́	⏑	–́	⏒	⏓́		⏓́
III, 3 ⏒	⏓́	⏒	⏓́ |	λ –́⏑	–	–́	⏒	⏓́		⏓́.

De his schematibus praecique agitur.

Legitima est in iis longa octavo et decimo loco.

In duabus formis III, 1 et III, 3 longa tenet septimum locum, ut pedes ⏔́ – et –́ ⏑ – efficiat.

Locis altero, quarto, quinto syllabae ambiguitate varie utuntur:

altero loco omnes quatuor formae,
quarto loco formae III, 1: III, 2: III, 3.
quinto loco forma II, 1ab sola
ambiguitatem admittunt.

Prolongatio vocalis verbi finalis, quotiescumque his locis fit, ex consilio poetae manat, neque quidquam interest, utrum ea prolongatio ab auctore carminis an a recitantibus illis effecta sit.

Sed mutatio prosodiae quantum arbitrio poetae permissa sit, ex eo intellegitur, quod locis altero, quarto, quinto longa vocalis verbi finalis et brevis eiusdem vicissim usui sunt, quae vicissitudo frequentissime ad alteram syllabam pertinet. Quarto et quinto loco prolongationes multo rariores sunt, cum caesura consequens brevem adiuvet.

Aliam ob causam prolongatio tertiae syllabae fit, quae in padis hendecasyllabis et dodecasyllabis aeque atque in octosyllabis conficitur. Hanc interpretari Benfey non potuit. Ceterae prolongationes in theses, haec in arsin cadit et propterea singulari condicioni obsequitur. Nam cum theses ordinis firmae et immutate, ossa quasi corporis rhythmici sint, arses sunt mobiles et caducae

---

[1]) Notae, quibus ordines significamus, eaedem sunt, quas postea in tabulis adhibebimus.

[2]) De schematibus aliquantum disserit Benfey AGWG XIX: Ueber die indogerm. Endungen des Gen. sg. îans, îas, îa.

ut caro ossibus circumfusa, sed propriam corporis formam efficit. Longa et brevis in arte metrica syllabas numeranti nullius momenti sunt. Sed pondere magis magisque augentur, cum poesis arti metricae quantitativae appropinquet et eam consequatur. Tertia autem syllaba vel altera arsis est ea, quae ad structuram ordinis permultum pertineat. Nam cum caesura ordinem in duas partes secernat, quantae et quales hae partes sunt? Cum caesura post quartam syllabam stet, partes valde impares sunt neque alienum est priori parti, quae brevior est, compensationem pro longitudine tribuere. Quae longā alterius arseos efficitur, non primae: nam haec est ille Auftakt totius ordinis, qua re ad priorem partem solam spectare non potest. Alterius autem arseos longa tarditatem numeri efficit, cum vox cogatur diutius in ea arsi morari, quam iambico numero accurato convenit. Qua re pars prior longior quidem non fit — nam duas ut antea theses continet — sed numero gravior. Itaque hoc dicimus: Longa alterius arseos (tertiae syllabae) priori ordinis parti tantum gravitatis addit, quantum longitudinis posterior pars praecipuum habet. Huius rei duo argumenta sunt.

I. In posteriore continuatione gentis trishṭubhjagaticae altera arsi discrimen inter alteram et tertiam[1]) familiam fit. In altera familia, ubi unitas ordinis conservatur, altera arsis in brevem transit. In tertia autem familia ordo dividitur, quo facto pâda duorum ordinum prodit, in quo prior ordo tantum gravitatis sibi adsumere debet, quanto longitudinis posterior eam superat. Sic altera arsis familiae tertiae in longam transit.

II. Praeterea in continuatione ordinum praecipue vedicorum ordines quidam inseruntur, quos breviores vocabimus, quod iis legitimarum thesis deest: sunt enim pentapodiae. Hi ordines, quorum schema Ṛigvedicum constituimus hoc:

– ◡́ ◡◡/— ◡́ | ◡/—   —́ ◡́
◡ – ◡ – | ◡◡ –́ ◡ –◡ –

[1]) Praemonendum est nos ordines trishṭubhjagaticos secundum conformationem rhythmicam in tres familias dividere.

in litteris posterioribus (inde a brahmaṇis) a ceteris ordinibus recedunt, cum longam aut duplicatam brevem alterius arseos fere semper praebent. Hoc fit nisi fallor, ut prior ordinis pars, quam thesis deficit, protracta altera arsi (breves duae eandem habent vim quam longa) gravior fiat, qua gravitate defectus extensionis compensatur.

Negaverit quispiam in hoc aut in illo ordinum schemate longam posterioris temporis quidquam ad longam prioris, maxime Ṛigvedici temporis pertinere. Ac sane in animo retinere debemus in universum vedico tempore etiam alteram arsin ambiguam esse. Sed deliberandum est diremptionem ordinum posterioris temporis multo ante incepisse quam inveterasse. Pugnant inter se duo studia, alterum continuitatem ordinum conservandi, alterum dirimendi: alterum longam alterius arseos repudiat, alterum petit. Quae pugna usque in Ṛigvedam recedit et causa est, cur longa alterius arseos, quae legitima in familia tertia est, interdum etiam in familiam primam et alteram penetret. Nam in Ṛigveda ordines, in quibus longam alterius arseos consilio poetae tribuimus — hoc modo omnes ordines, in quibus tertiae syllabae prolongata vocalis finalis est, interpretamur —, pariter familiarum primae alteriusque ac tertiae sunt.

Ceterarum arsium nulla vim alterius habet: neque enim ulla pari modo ordinis totius structuram moderatur. Arses primitus sunt ancipites et inde ad brevitatem syllabarum procedunt exceptis longis arsibus padarum vatormicorum et çalinicorum. Prima autem arsis ordinum indravajravaṃçasthicorum in perpetuum ambiguitatem retinuit, id quod anacrusicae naturae eius tribuendum est.

Comprehendamus, quae de quantitatum ratione in ordinibus trishṭubhjagaticis vedicis disputavimus.

A. Theses sunt longae exceptis his:

a. ambiguae (ancipites) sunt

1. thesis ordinis finalis
2. thesis caesuram antecedens
3. thesis ordinis prima (altera syllaba).

Cfr. Rv. V, 83, 1

áchâ vada tavásam gîrbhír âbhíḥ
stuhí parjányaṃ námasấ vivâsa
kánikradad vṛishabhó jîrádânû
réto dadhâti óshadhîshu gárbham

– –́ ⏑ ⏑́ | λ ⏑⏑́ – –́ ⏑ ⌞–́ –́
⏑ ⏑́ – ⌞–́ –́ | ⏑⏑ –́ ⏑ ⌞–́ ⏑́
⏑ –́ ⏑ –́ | λ ⏑⏑́ – –́ ⏑ –́ –́
– –́ ⏑ –́ ⏑ | –́ ⏑ –́ ⏑ ⌞–́ ⏑̲́

Rv. X, 14, 3

mấtalî kavyaír yamó áṅgirobhir,
bṛíhaspátir ṛíkvabhir vâvṛidhânáḥ
yấṅç ca devấ vâvṛidhúr yé ca devấnt
svấhâ anyé svadháyányé madanti

– ⏑́ – ⌞–́ –́ | ⏑ – –́ ⏑ ⌞–́ –́
⏑ –́ ⏑ ⏑́ | λ –́ ⏑ – –́ ⏑ ⌞–́ –́
– ⏑́ – –́ | λ –́ ⏑ – –́ ⏑ ⌞–́ –́
– –́ – –́ | λ ⏑⏑́ – –́ ⏑ ⌞–́ ⏑́

Cum has tres theses discernamus, quibus causis ancipites sint, tres ambiguitatis gradus constituere possumus:

1. Thesis ordinis finalis est anceps,
   - α. quod verbum simul terminatur.
   - β. quod ordo periodus terminatur.

Quo facto post thesin finalem pausa oritur, quae extra numerum stat neque certam magnitudinem habet. His ipsis pausae condicionibus thesis finalis tantum extendi potest, quantum libeat.

Syllaba anceps in fine ordinis periodi posita per totum aevum artis metricae quantitativae viguit et apud Indos et apud Graecos.

2. Thesis caesuram antecedens est anceps,

α. quod verbum simul terminatur.

β. quod prior ordinis pars terminatur.

Caesura est quasi nota rhythmicae ordinis structurae. Et ipsa constantia caesurae id efficitur, ut syllaba anceps praecedentis theseos conservetur. Quae syllaba anceps partem ordinis rhythmici terminans apud Indos solos invenitur et ea in aevis classicum praecedentibus.[1]) Sed in antiquiore horum aevo, quod vedicum vocamus, frequenter occurrit: in recentiore autem i. e. in Mahabharata, Mahabhashya et in litteris palicis brevis hoc loco iam rarissima est. Vedico enim aevo brevis theseos ante caesuram positae quartam decimamve partem omnium ordinum sibi vindicat, cum in Mahabharata I, 148—215; 722—732; 3650—3672; 10597—10620 et in Benfeyi chrestomathia p. 1—63 (in ambopakhyana Mahabharatae), tum in Dhammapada, in Mahavagga, in strophis ex Buddhaghosae commentario electis, denique in Mahabhashya undequadraginta breves (exceptis padis binorum padarum) ante caesuras thesium invenerimus, qui numerus est pars prope vicesima sexta omnium ordinum (998), quos investigavimus.

3. Prima ordinis thesis (altera syllaba) est anceps,

quod superest ex arte metrica syllabarum numeratarum. Nec vocabulorum exeuntium nec structurae ordinis rhythmicae ratio habetur. Haec ipsa est ratio artis metricae syllabas numerantis, cum quaelibet syllabae theses fiant.

Quae syllaba anceps prius quam illae, quas antea diximus, evanescit, cum longae cedit. In upanishadibus et in Ṛigvedapratiçakhya nonnullis locis exstat, postea rarissima est. Frequentiam haec tabula docebit:

---

[1]) De aevis, quae in metrica continuatione agnoscimus, conferas tabulas infra affixas.

Rigveda: maṇḍala	universus ord. num.	brevis primae thes.
II	1485	184
III (1—38)	1171	113
VII (1—30)	878	87
X (1—7)	196	24
X (128—169)	292	48
Aitareya-brâhmaṇa	32	3
Çatapatha-brâhm. (11, 5, 1, 5—17 12, 3, 1 et 2 14, 5, 2 14, 7, 1 et 2)	105	13
Superṇâkhyâna	444	56
Kaṭha-upanishad	229	21
Muṇḍa-upanishad	192	11
Ṛigv.-prâtiçâkhya (paṭ. 1—9)	636	100
Mahâbhârata (locis supra citatis)	604	7
Mahâvagga	121	4
Dhammapada	150	1

Etiam Graeci eandem ex arte metrica syllabas numeranti reliquiam sibi retinuerunt: primam enim thesin logaoedicorum metrorum poetae lyrici et dramatici interdum brevem reddunt. Et cum primum eorum ordinum pedem G. Hermanno auctore basin vocemus, complures[1]) baseos formas distinguimus, quarum basis pyrrhichica (Lesbiorum propria) ⏑́⏑ et iambica ⏑́– ictum in brevi prima[2]) habent. Confer Sapph. 45 (RW III p. 503):

ἄγε (δὴ) χέλυ δῖα μοι φωναέσσα γένοιο

⏑́⏑ –́⏑⏑ –́⏑–́ ‖ – –́⏑⏑–́⏑

[1]) RW III p. 479 s.
[2]) RW III p. 484 s.

et Soph. Phil. 1125 (RW III p. 485):

γέλᾳ̃ μου, χερὶ πάλλων
⏖ – ⏑́ ⏑⏑ –́ –

b. Aliis locis theses interdum breves inveniuntur, sed iis, quibus vocabulum terminatur. Loci a Benfeyo collecti sunt AGWG XX: Quantitätsverschiedenheiten u. s. w., 2. Abh. Novitate rei commoti afferimus carmina Homerica et Vedica de i terminanti mirifice congruere. Benfey enim in disputatione modo citata pag. 80 (exeunte) haec dicit: „(Es wird) jedem auffallen, dass unter den von mir nicht angezweifelten Fällen so viele Wörter mit auslautendem i sich befinden; nämlich unter den eben aufgezählten 42 nicht weniger als 25, also weit über die Hälfte; es drängt sich da unzweifelhaft wohl mit Recht die Frage auf: liegt in dem Vocal i etwas oder wurde er in der Vedenzeit so gesprochen, dass er in der Cäsur wie ein schweres (d. h. natura oder positione langes) i gelten konnte? Ich kann die Frage vom sprachlichen Standpunkte aus nicht entscheiden, da mir die vedischen Lautgesetze keine Analogien dafür gewähren und ich habe deshalb alle hierher gehörigen Fälle unangezweifelt gelassen.“ De hexametro Homerico confer RW II, 2 p. 302. Hoc loco Westphal dicit haec: „Seltener wird die offene kurze Endsilbe (bei folgendem consonantischen Anlaute) als Ictussilbe verwandt, und zwar am häufigsten ĭ, seltener ᾰ, noch seltener ε, am seltensten ο. Nach der Zählung von Hoffmann quaest. Homer. I, p. 161 ff., 101 ff. ist in der ganzen Ilias vor folgendem consonantischen Anlaute einem auslautenden ĭ 25 mal und ebenso häufig den übrigen auslautenden Vocalkürzen zusammengenommen die Bedeutung der rhythmischen Ictussilbe gegeben worden.“

B. Arses ultima in jagaticis ordinibus excepta per gradus procedentes ancipitate utuntur. Et ea ratione fit, ut in priore ordinis parte longae frequentia breves aequent, in posteriore parte breves multo superiores sint. Omisimus enim pedes caesuram secutos, qui cuiusque ordinis proprii sunt:

| –́ ⏑ ⏑
| ⏑́⏑ –
| ⏑́⏑ ⏑
| –́ ⏑ –

et unum caesura disiunctum

⏓́ | ⏑ ⏑.

Hi enim commutatione metri consilio et industria confecta nascuntur. Ante omnes de arsi noni loci dicendum est: nam haec in Rigveda omnibus fere locis ad brevitatem iam perducta est et ab arsi undecimi loci id unum differt, quod haec semper, illa fere semper brevis est.

